
3 1761 08145596 6

INDEX SCHOLARVM

IN VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCXLV

A DIE XV OCTOBRIS VSQVE AD DIEM XXVIII MARTII

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Inest Prooemium de Scriptoribus Historiae Augustae P. I. Scr. G. Bernhardy.

HALAE

TYPIS HENDELIANIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

EDVARDVS d'ALTON

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS

In litteris Latinis cum alia multa citerioris aevi monumenta feruntur, quae situs diuturnus et oblivio hominum oppressit, tum scriptores quosdam collectiones mireris eadem contemptus an inertiae clade afflictos iacere: qui cum ab maioribus nostris expetiti doctisque commentariis esset ornati, nunc a paucis et invitis per necessitates quaesiti iamiam labuntur atque incertam in fortunam incurrerunt. Nempe sua fata habet habebitque docta supellex antiquitatis; quo minus novum videbitur eo rem evaluisse, ut illi libri partim manibus virorum eruditorum exciderint ac paulo rarius in privatis scriniis deprehendantur, partim leviter usurpati pro derelicta provincia haberi possint. Nolumus ambitiose gromaticos, medicos, geographos, rhetores aut magistros eruditionis variae enumerare; sed libet hoc tempore paulisper in *Scriptoribus Historiae Augustae* subsistere. Nimirum aetatem tulit temeraria quaedam silva historiae miscellae, quam opifices de plebe qualiscunque sive artis seu consilii immunes ex copiis publicis privatimque congestam ad Imperatores Diocletianum et Constantinum miserunt. Nec diu fuit cum homines brevitatis studiosi delectum libellorum et compendia narrationis sic instituerunt, ut et auctores diversi confunderentur et particula rerum gestarum haud mediocris, quae inter Gordianum tertium et Gallienos interiecta fuerat, plane periret. Tandem istis successit et novissimam annalibus manum admovit, qui maiores sumpsit spiritus, *Flavius Vopiscus*, vir sobrius et in exigenda materia diligenter versatus. is telam a Trebellio Pollione inchoatam pertexere coepit, cumque litteris Aurelianum mandasset, vitis singularibus quas amicis suis destinarat ordinem Augustorum usque ad Diocletianum deduxit. Paulo post exortus est qui pusillos Caesarum enarratores, brevitate sibi prae ceteris commendatos, unum in volumen cogeret, quod plerique codices integrum propagarunt, pauci in digestorum flores distraxerunt, velut quae olim in Bibliotheca Palatina reperta sunt Excerpta. Iam in sarcinis comportandis quid illius arbitrium quidve casus valuerit, longum est et molestum exquirere. etenim ipsas distributionis rationes aegre perspicere licet, si quidem plurimum spatii Iulio Capitolino concessum, in singularibus autem vitis auctoritas et Vulcatii Gallicani et Trebellii Pollionis sufficere visa. nam ad hunc solus Divus Claudius debet revocari.[1] Quamquam illud facile coniecta-

1 Diu multumque dubitatum est de singulis scriptoribus, qui symbolas ad corpus Historiae Augustae contulerint, neque de finibus regendis critici consentiunt; sed prolixam quaestionem non capit modus harum praefationum. Satis est verbo conatus Britanni litteratissimi tetigisse qui post Casaubonum et Salmasium maiora molitus intelligendo fecit ut parum intelligeret, *H. Dodwelli* Praelectt. Camden. p. 32 – 151. Scilicet is antiquum obtinuit, ut oratione diffusa, putida diligentia perplexo disserendi genere (vide rectum Niebuhrii iudicium in Scriptt. minor. I. p. 113.) rem obrueret et post ambages infinitas lectorem dimitteret incertissimum ac paene de salute desperantem. Solet autem, quod alii probant, vanissimas ratiocinationes ex iis locis conficere in quibus scriptor de viris nescio quorum

mus, hominem imminutis atque mutilis subsidiis usum fuisse. Utut fuit, haud scio an industriam quantumvis obscuram, quae digitos magis quam ingenium in historia collecticia expedierit, etiam laudari conveniat, quod fractas quasdam tabulas ab interitu vindicavit.

Quos igitur nescio cuius beneficio coniunctos tenemus *Scriptores Historiae Augustae,* eos supra significavimus a plerisque spretos propemodum in turba delituisse. Merito quidem, inquit. Etenim quis est paulo erectior et generosis sensibus imbutus, quin plebeios magistellos et historiarum quasi scrutariam factitantes aspernetur, praesertim sordido dicendi genere inquinatos? [2] Scilicet si res ageretur hominum eruditorum, qui ab humanitatis disciplina profecti munus historicum suscepissent et in annalibus condendis criticam severitatem ea qua par fuit subtilitate iudicii atque orationis luce temperassent, verissime contemptores isti statuerent. Saltem confectores vitarum a Suetonio suo, cuius in exemplum grex sectatorum intuebatur, aliquam prudentiam in argumentorum delectu et compage didicissent! Nunc ad plebem delati sumus ab institutis liberalibus alienam, quae frivolas res suopte ingenio captans et in instrumentis luxus principalis defixa laudes flagitiis, iocularia seriis, foeda honestis temere permiscuit falsisque vocibus fortunam regum prosequitur; neque id negotium aliter administratum videmus, quam si quis oppidanus ex actis Berolinensium diurnis et ephemeridum reliqua congerie fata nostrarum civitatium enarret. Ex huiusmodi vero frustulis pannisque cinnus emersit inconcinnitate singularis, cui parem in litteris historicorum vel semidoctis neque Graeca antiquitas nec populus Romanus ostentat. Nam qui rationes et seriem temporum susque deque habuerint, item ut Spartianus et sequaces, quos artes chronologorum plane fugerunt, aliquos invenias; porro nonnullos, qui pingui Minerva statum vicesque rerumpublicarum et mores magnorum virorum delinearint, aut rudi stilo libertatem atque principatum percurrerint: sed qui nullo discrimine gravia ridiculis, inania necessariis, absona praeclaris adiunxerint et contrariis frontibus incredibilia siverint coire, ut praecepta logicorum vel sensum communem citius quam vanam curiositatem ac diligentiam in minutis religiosissime exultantem desideres, frustra circumspeximus. Ut de multis uno defungamur et altero specimine, satis est hanc Spartiani struem contemplari, Hadr. 21.

> Inter cibos unice amavit tetrapharmacum, quod erat de fasiano, sumine, perna et crustulo. Fuerunt eius temporibus fames, pestilentia, terraemotus; quae omnia quantum potuit procuravit, multisque civitatibus vastatis per ista subvenit. Fuit etiam Tiberis inundatio. Latium multis civitatibus dedit, tributa multis remisit. Expeditiones sub eo graves nullae fuerunt, bella etiam silentio paene transacta.

Aut lepidum eius acumen in Sev. 18.

> Philosophiae ac dicendi studiis satis deditus, doctrinae quoque nimis cupidus *latro-*

Augustorum sese tradidisse vel traditurum ostendat; quasi historicorum istorum opellas etiamnum sinceras neque in formulam excerptorum discerptas teneamus. Monuit nuper, quibus cautionibus haec disceptationis pars obnoxia sit, ***Dirksenius*** ICtus (Die Scriptores Hist. Aug. p. 42. sq.), qui libris iisdem operam commodare coepit utilissimam. Nolim tamen siquid in scriptore quopiam illius sodalitii fuerit observatum, id ad alterum continuo traduci, tanquam eaedem rationes atque vicissitudines in universos cadant; nam singuli tam materia quam prudentia plurimum inter se differunt. Ceterum non multum iuvant Codices, quorum in subscriptionibus haud maior est fides quam in titulis praescribendis; quamquam aliquam curam rubricae Palatini produnt. At si quis eiusdem praescriptionem consideret hanc, *Finita vita Antonini philosophi. Incipit eiusdem Verus feliciter,* statim intelliget, quam facili errore librarii potuerint *eundem* habere scriptorem, cum folia nonnulla replicare per incuriam omisissent. Contrarium accidit in vitis Macrini et Antonini Diadumeni, quarum altera Capitolino, haec Lampridio tribuitur; apparet tamen, qui patrem narraverit, ab eodem pueri res tanquam appendicem scribi debuisse. Nimirum oculos perstrinxit continuus Lampridii libellus, quo Heliogabalum tradit.

2. Vide praeter alios Niebuhrii (Scholarum de hist. Rom. habitarum T. II. p. 342. ed. Ien.) iudicium.

num ubique hostis, vitam suam privatam publicamque ipse composuit ad fidem, solum tamen vitium crudelitatis excusans.

Diceris facinora Caesarum eadem qua vixerint libertate esse memorata. Quid deinde censemus, cum hi quasi historici longius evolant et ad splendidas moralis philosophiae voces aut iudicia de rebus humanis aspirant? Vide Sever. 20. 21. Heliogab. 33. Alex. 64 Gaud. 1. Quid quod isti scrutatores, cum ad cultum habitum libidines mentem advertant intentissimam, faecem etiam et secreta rimantur, quae ab medicis vel cubicularis curari decuit. v. Lamprid. Alex. 36. Capit. Gord. 19. et, si brevissimum quaeris exemplum, eiusdem Ver Imp. 4 „Somni fuit permodici, digestionis facillimae." Quamquam in toto hoc genere praestat lectores ad Heliogabali vitam ablegare. Ne tamen iniquius de hominum prudentia decernamus: vel deteriores vitarum artifices tum extiterant, quos ab illis non raro reprehensos videmus. Caverunt igitur tam fide quam brevitate, Marii Maximi ut nugas verbosas et Iunii Cordi fabellas praetervehrerentur: v. Lamprid. Heliog. 33. Capit. Gord. 21 quorum hic etiam grandem iactat professionem, *Siquidem ea debeant in historia poni ab historiographis, quae aut fugienda sint aut sequenda*.

Hactenus apparuit, quid pretii statuendum esset historicis e plebe profectis. Nec male de nobis actum, quod ex opibus eorum de moribus et institutis saeculi III. existimare licet atque universam vivendi sentiendique rationem certius introspicere, quam per iustos et limatos rerum commentarios fieri posset. Verum aliae multae dotes Scriptoribus Historiae Augustae suffragantur. Etenim historicis, iureconsultis, grammaticis uberrimam praebent materiam et inexhaustam, qua disciplinis suis lucem afferre queant, criticis autem campos aperiunt patentissimos, in quibus decurrant et facultatem usu vario corroboratam exerceant. Iam quis ignorat ista vitarum enarratione historicis labentis imperii fontem nunc utilissimum nunc unicum et plane necessarium esse propositum? qui nisi praesto foret, saepe nos auctores clarissimi destituerent, ac ne per Dionis quidem libros quamvis copiosissimi temporum illorum testis (inter Dionem vero et Historiae Augustae auctores quid intersit acute digito monstrat Gibbonus cap. 4 not. 49.) et Herodianum, qui modicam partem diserte peragravit, satis causas reconditas, voluntates principum, statum rerum civilium et negotiorum publicorum assequeremur. Itaque *Gibbonus* ille, quo nemo scitius aut maiore cum fructu molem istam omnigenam pervolutavit, callida rerum futilium interpretatione multa potuit expedire vel probabilem in ordinem concinnare. Porro iurisperiti huic horreo, quod insigni tabularum et epistolarum fide munitum est, notitiam debent et virorum consultissimorum, quibus Imperatores tum gravissimas res committere solebant, et iurisdictionum, et mutationes in administrandis muneribus factas, constitutiones Augustorum et leges opinione plures inde colligere potuerunt. Quas utilitates generatim *Mascovius* Oratione de usu et praestantia Historiae Augustae in iure civili, singulis et exquisitis exemplis nuper *Dirksenius* ostenderunt. Quo minus mirabimur, diligentissimos iuris civilis magistros, sive vitas nobilium ICtorum describunt, seu doctrinam condunt vel quaestiones forenses disceptarunt, multos in terendis Historiae Augustae monumentis fuisse; ac si verum fatemur, ab nullis ea frequentius lectitata sunt. Nam quibus materiam infinitam ibi suppetere monuimus, grammatici et critici longe minorem iis industriam impenderunt. Quamquam grammaticis non deest excusatio, qui rarius et inviti soleant ad litteras citerioris aevi descendere, neque lectione librorum oblectentur, unde parum ad incrementa lexicorum et observationem artis videatur redundare. Sed utrique, spero, sententiam mutabunt, simulatque certus et copiosus apparatus ex optimis subsidiis confectus prodierit.

Interim ut orationis formam brevi perstringamus, historicos plebeios cum plebe locutos esse nemo non intelligit. Quodsi nullo in genere virtus et utilitas horum scriptorum competeret, profecto quantivis pretii habendi forent testes sermonis plebeii, cuius post Vitruvium et

collectiones glossarum, qualem etiam Placidus instituit ab A. Maio proditus, non extet documentum saeculo tertio antiquius. Plebeiam autem elocutionem tanquam illustris nota sordidae voces arguunt sumptaeque ex vulgari consuetudine, quarum bona pars per linguas Romanas sive provincialium est propagata; nec vestigia coloris eruditi aut bene dicendi studia comparent ulla, praesertim dempto verborum omni delectu, unde copias phraseologiae pendere constat. Accedit largissima seges syntaxis anomalae: velut structuras accusativi cum ablativis confusas magno locorum acervo munire licet. Et exempla quidem sermonis domestici per totum corpus Historiae Augustae fusa vel non operose conquirenti patent, si quis a Salmasio monitus tabulam glossarum et stribliginum inchoarit; alia haud paulo foediora codices suppeditabunt, qui textum verborum iusto saepius perversis editorum mangoniis incrustatum coarguunt. Iuvat unum et alterum specimen in medium protulisse.

Spart. Hadr. 21. *Unde extat etiam illud severe quidem, sed prope ioculare de servis.* Fatendum sane Spartianum ab omni concinnitatis aut orationis aequabiliter structae cura abhorruisse; sed adverbium *severe* quis sibi persuaserit ad *ioculare* adiectivum a scriptore quamvis hebete referri potuisse? Iam quid sincerum sit optimus Palatinus significat, *severo* punctis suppositis, hoc est, *saeve*. Nempe quod probati scriptores in *imbecillus* imbecillis, *inermis* inermus, *exanimis* exanimus aliisque variandis sic praeierant, ut alterumutrum intra certos casus subsisteret, id aevum inclinatum prona libidine dissimillimis in vocibus concessit: unde fluxere *lepidis* (v. Reinesius in Petron. 61.), *concinnis* (v. Hildebrand. in Appul. Met. V. p. 356.), *infirmis, saevis,* de quibus dixit Valesius in Ammian. XX, 6, 6. Palatinum autem firmabit Marcellinus XV, 9, 6. *saevium tyrannorum*, eiusdemque XXIX, 5, 48. *suppliciorum saevium repertorem.* Hinc etiam *Peloponnensium* genitivus apud Trebell. Claud. 16.

Epistola ap. Capitol. Max. & Balb. 17. *gratulatus Italiae, quam cum maxima ab hostibus vastatione defendistis* (l. *defenditis*); *gratulatus provinciis, quas inexplebili avaritia tyrannorum laceratas ad spem salutis reduxistis.*

Silent ad haec critici, tanquam in librorum consensu. Sed *inexplebilis* Pal. cum ed. principe, *reduxistis* ignorant duo primarii codices, nec semel accidit per temeritatem librariorum vel edd. vett. ut lacunae, si quando defectus verborum intercideret, omni machina resarcirentur; cuius rei exemplum infra proferemus ex Vopisci Tacito. Primum igitur eiecta fraude novissimas voces *ad spem salutis* par est cum utroque membro *gratulatus Italiae* — *gratulatus provinciis* coniungi; deinde levi mutatione redintegranda Capitolini manus: *gratulatus provinciis, quas inexplebilis avaritia tyrannorum lacerata est.* Nova quidem species *lacerari* deponens, sed iis temporibus nata, quae confundendis in generibus verbi licenter admodum versabantur, praeeuntibus tamen prisci sermonis auctoribus. Memoravere grammatici Varronianum *affectatus est regnum,* itemque *dilapidari*, praeter alia quae nullo cum delectu Vechneri Hellenolexia p. 100. sqq. cumulavit, a quibus non multum differt Ammiani exemplum *suspectati sunt.*

Sequitur ut criticam condicionem summatim perstringamus. Non dubitabunt, siqui solas editorum annotationes paulo curiosius evolverint, quin hi scriptores plurimis corruptelis ac dubitationibus premantur. Nos quidem diuturnus usus edocuit, et corruptionem opinione longius esse grassatam et numerum locorum graviter affectorum tantum extare, nullius ut ingenium et salutaris manus quamvis eximiis conatibus subacta videatur sufficere posse. Haud mediocris tamen progressio in hoc studiorum genere dudum perfecta foret, si quidem duplici munere decessores nostri solerter voluissent defungi, ut et instrumentum criticum bene provisum atque concinnum appararent, et copias oblatas via, ratione, denique luce disserendi et ordine iusto necessarios in usus converterent. Nunc illi scripturae varietatem arbitratu suo decerpunt, quando difficultatibus locorum commoti vetustam quampiam editionem et codices inspiciunt, fide librorum ac dignitate parum solicite pensitata: neque habeat iidem ratum et constitutum, quid inter

certam emendationis legem et vagam coniectandi libidinem intersit. Tralaticiam sane fabulam narramus, quippe quae facile plerisque superioris aetatis recensionibus queat accommodari. Sed Scriptoribus Historiae Augustae improspera fortuna hoc etiam nomine obvenit, quod duobus amplius saeculis nemo recognoscendos et a turpibus vulgatae mendis purgandos suscepit, nec mirum, cum *Casaubonus* et *Salmasius* quasi sidera orbis eruditi oculos vulgi praestringerent et universos critices et interpretationis numeros explesse viderentur. Et Casaubonus quidem commentarium exhibuit non indignum laboribus, quos in Athenaeum et Suetonium insumpserat, Salmasius autem cum antiquitates et sermonem aevi citerioris ex interiorum litterarum thesauris illustrat, tum plurimos vitarum locos summa sagacitate restituit, eamque iudicii severitatem praeter morem probavit, ut praestantissimus Historiae Augustae editor iure merito haberi debeat. Enimvero, si summam spectamus, res secus cecidit. Scilicet neuter fundamentum operae tam firmum posuit, ut criticum munus probabiliter perfici posset. Fundamentum autem ab editione principe petendum erat, quam *Bonus Accursius* Mediolani procuraverat, rarius illam a Casaubono, passim a Salmasio et maiore cum fructu usurpatam. Fontem expressit Mediolanensis codicem melioris ordinis, sed lectu difficillimum, cuius ductus cum Accursius aut non satis assequeretur aut rerum ignarus perperam explicaret, nunc scripturas interpolavit verique indagandi viam offuciis sustulit, nunc meram corruptionem satis habuit in medio reliquisse. Iam editiones continuae, *utraque Veneta* cum *duplici Aldina*, nullis utpote subsidiis munitae, licentia mutandi fraudes et corruptionis vim auxerunt. Inprimis autem ab Veneta II. plura sunt repetenda, quae libris invitis hanc vulgatam involaverunt: velut illi debentur et mirificus Iureconsultorum index Alexandro Severo subtextus, et transpositio verborum aliquammultorum in Max. et Balb. c. 3. quae ad c. 8. pertinent, et omnium violentissima distractio fragmentorum in Valerianis, ubi neque caput nec pes constat, siquidem ipsum exordium, *Valerianus Imperator, nobilis genere, patre Valerio, censor antea et per dignitatum omnes gradus suis temporibus ad maximum in terris culmen ascendens*, plane confictum est. Adeo laborarunt olim vestigia supellectilis male conglutinatae, unde haec vitarum excerpta pendent, quavis arte oblitterare: quo in genere haud scio an nullum exemplum cum interpolatione Spart. Pescenn. 9. comparari possit, quae duplicem vitae fontem prorsus obscuravit. Sed illuc redeo. Ulterius etiam progressus ceteris cupidius a fide MSS. recessit vir magnus, *Desiderius Erasmus*, qui *Basileensi* praefuit nec pauca menda removit; isque nominis auctoritate consecutus est, ut conditor vulgatae receptaeque lectionis existeret. Hanc primus propagavit *Rob. Stephanus*, cuius post tempora (prodiit autem Stephaniana a. 1544.) nullus criticus Historiam Augustam de integro retractavit, nisi forte codicum ut ferebat voluntas scripturis quibusdam illatis aut novis mendis per incuriam admissis. Nam *Casaubonus* libris misere interpolatis, ut Regio Parisino, nescio qua iudicii perversitate fidem suam addixit, *Grutero* satis visum diversitates optimi Palatini paulo graviores enotasse; utroque autem intelligentior qui ab uno Pal. et editione principe locis afflictis solet opem commodare, *Salmasius* nunc egregias invenit correctiones, modo calidius in avia defertur et recondita sordidis historicis obtrudit. Quarto gradu neminem afferre licet praeter *Ulr. Obrechtum*, qui varias symbolas paucis annotationum paginis commisit. Itaque quibus hodie plerique utuntur exemplis, *Hackianum* satis negligenter adornatum, quamquam commentarii meritissimorum virorum repetiti vel potius per saturam fusi huic Batavorum opificio famam addiderunt, *Bipontinum*, longe castigatius illud et inprimis ad Salmasianam exactum, postremo *Lipsiense*, iuncta Püttmanni Schmidiique opella parum fideliter exhibitum, modo vulgatam ab Erasmo vel Stephano repertam sequuntur, interpositis etiam Casauboni et Salmasii commentis, nunc quaedam omittunt lectionesve inculcant ignorabiles, ut tamen hominibus doctis nullam moverint dubitationem. Velut in hominibus propriis inferciendis adeo luxuriant, ut quo consilio fecerint quodque lucrum anquisiverint vix inveniamus. Huiusmodi est ridiculum auctarium in Spart. Sev. 24.

Corpus eius in Britannia Romam usque... susceptum est; quamvis alii urnulam auream tantum fuisse dicant, Severi reliquias continentem, — cum Septimius Pertinax Severus illic ubi vita functus esset incensus; nam *Pertinax Severus* perinde MSS. ignorant atque voces eas in Carac. extr. *templum quod ei sub Tauri radicibus fundaverat olim maritus Antoninus, in quo postea filius huius Bassiani Heliogabalus* etc., quas diductis litteris notavimus. Sed ut brevi quasi tabula modus interpolationis patescat, duos locos forte oblatos infra posuimus, collatis inter se codicum sive ed. principis et vulgatarum scripturis.

Capitol. Gord. 16. MSS. & Med.	Vulgg.
Haec ubi comperit senior Gordianus, cum in Africa nihil praesidii et a Maximino multum timoris et fides Punica perurgeret, et acerrime Capelianus instaret, luctus deinde mentem atque animum fatigaret, laqueo vitam finivit.	Haec ubi comperit senior Gordianus, modicas vires suas, Maximini magnas, instantem Capelianum raramque Punicam fidem considerans, et acri dolore percitus, ut vincula etiam hostium evitaret, laqueo vitam finivit et vitam cum imperio reliquit.
Ibid. 21.	
Sane quod praetermittendum esse non censui, quia mirabile visum est, lectum apud Vulcatium Terentianum, qui et ipse historiam sui temporis scripsit: in litteras misit Gordianum	Sane quidem quod apud Vulcatium Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam, videtur mirabile, inserendum censui. Dicit enim Gordianum

Ultra peccat ex socordia Lipsiensis, negligendis vocibus aut membris: cui quidem, ut paucis utar, desint *et amicitia* Lampr. Alex. 67. porro ipsa verba, *et, si esset securus, ad omne dedecus paratissimi* sub capitis 5. finem in Gallienis, *vel ut parsimoniam peregrinatione addisceret* Capit. Veri Imp. 5. quid quod insigni sensus dispendio in Maxim. Iun. 2. *genua sibi osculari patiebatur, et nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus,* illic mutilantur sic, *genua sibi osculari patiebatur, et nonnunquam passus est senior Maximinus.* Quocirca huc totius negotii status iam evasit, ut qui solam et illibatam optimorum testium fidem, id est, Palatini duorumque Vaticanorum, cum editionibus vetustissimis collatam audaciaque prudenti per emendationis copias temperatam, repraesentaverit, is praeclare de studiis historicorum ac philologorum meriturus sit, instaurato quasi fundamento, cui firmiter insistere liceat et confidere; sed eundem reliquis etiam officii partibus satisfacturum, sic ut et manifesta vulnera persanet et operta damna protrahat, quae per universum opus latitant, aegre speraveris, idque mensuram unius critici paucis superiorum inventis iutam excedit.

Interim spatia patent *emendationis* uberrimae: quam si quis ratione factitet et ut gradatim a planis et confessis ad perplexa divinationis atque pericula litteras interpretandi ascendat, operae pretium rettulerit ac locis conclamatis vel pusilla quadam apicis observatione salutem praestabit improvisam. De hoc igitur genere specimina nonnulla non poenitebit expendisse; quorum in partem si forte inciderint, qui novissimis annis in Fridericiana litteras antiquitatis inchoarunt, libenter opinor in memoriam confabulationum inter initia critica habitarum redibunt.

Sciunt omnes, quantillus error e distrahendis ac male copulandis vocibus natus caliginem et perturbationem locis inferre soleat, praesertim si quod litterarum compendium perperam sit acceptum vel nomen proprium minus pervulgatum interveniat. Et nomina quidem recondita non ita crebra sunt per Historiam Augustam, ut iis immorari velimus: quale multis abhinc annis *Catachanas,* Hadriani libros obscurissimos, in Spart. Hadr. 16. investigavimus aliorum assensu comprobatum. Longe maiorem praebent materiam nomina hominum et locorum: velut *Annium Verum,* quod apud Spart. Hadr. 24. in *Ceionium Verum* esse mutandum olim demonstrabitur; nunc saltem unam adhibeamus corruptelam Lamprid. Comm. 5.

Ipse autem Commodus Lucillam sororem, cum eam compressisset, occidit

Falsam scripturam Aldus invexit: nam optimi MSS. *cum eam praemisisset*, Med. *cum ea promisisset.* Salmasius vehementer sibi diffidens (neque immerito) *cum ea praemisisset* sic explicare conabatur: cum illa prius Commodum occidere voluisset. Sed intuenti manum Pal corr. *cum ea praemisisset*, omnino Reimarus verum videbitur eruisse: *cum Capreas misisset, occidit.* Auxit enim vitium eorum error, quos lineola terminationes accusativi notans fugisset. Ut in Capitolini Maximin. 12.

Habuit enim hoc barbaricae temeritatis, ut putaret imperatorem manu etiam sua semper uti debere.

Ubi reprehendit temeritatem Maximini, qui militis in modum cum paludem ingressus esset, ab Germanis circumventus discrimini virtute suorum exemtus est. At MSS. optimi cum Med., quos critici silent, *uti* nesciunt; veterem scilicet scribendi rationem secuti, *manū etiam suā s. d.* Legendum enim: *ut putaret imperatorem manum etiam suam semper debere.* Historico Virgilianum, opinor, obversabatur A. XI, 178. *dexteram gnatoque patrique debere.*

Praevertamur ad eam labem, quam oratio traxit male disiectis aut conflatis litterulis. Iam ubi res binorum ternorumve vocabulorum agitur, mediocris fit labor, modo quis aciem mentis ad cubilia germanae lectionis intendat, nec siglarum obliviscatur vulgarium. Utamur facillimis exemplis iisque e proximo petitis. Lamprid. Alex. 14.

divinatio mentis frequentissima, rerum memoria singularis, quam nemo nisi Acholius ferebat adiutam.

Novissima quidem sensu cassa sunt: id quod Casaubonum latuit, incaute tentantem, *scribat adiutum*, non latuit Salmasium, qui scripturam Palatini et Med. nesciret in usus convertere hanc, *quam nemo nico A. f. a.* Eadem Aldus corruperat. Sed unam litterulam si revocamus praecedenti voce haustam, prodit sincera scriptoris manus, *quam mnemonico Acholius ferebat adiutam.* Clarissima fuit et veterum tam usu quam praeceptis pervulgata doctrina memoriae, quam appellabant *τὸ μνημονικόν:* v. Morgensternii disputationem de arte veterum mnemonica p. VIII. sqq.

Alterum documentum praestat Spart. Geta c. 5.

Vestitus nitidi cupidissimus, ita ut patri doleret.

Mirifica vero patris acerbitas, qui puero cultus et munditiae studioso indoluerit. Non fugit offensio verborum Salmasium, qui de remedio desperans haec annotavit: „vitium manifestum arguit vetus scriptura quae habet, *ita ut patri deret.* quod et prima editio retinuit: vitium video, emendationem non item, quam fortasse alii odorabuntur, sagacioris nasi qui erunt.“ Profecto mireris in ipsa luce tantum ingenium paulisper hebescere potuisse, cum *patri deret* appareat ad compendium scribendi *p͡r rideret* revocanda fuisse. Corrige, sodes, quod iuvenes leviter moniti haud semel invenerunt:

Vestitus nitidi cupidissimus, ita ut pater rideret.

Contra paulo longiorem quaestionem et contentionem adhibere par est, sicubi plures voces coaluerunt ac multis partibus fides veterum tabularum ab editionibus dissentit. Velut accidit in loco sane luculento, quem ab Veneta interpolatum critici parum feliciter tractarunt, cum negligenter Palatinum inspexissent. Verba sunt Lampridii Heliog. 34.

Mirum fortasse cuipiam videatur. , quod haec clades quam rettuli loco principum fuerit, et quidem prope triennio: ita ut nemo inventus fuerit, qui istum a gubernaculis Romanae maiestatis abduceret.

Oratio callide ficta; quamquam alia suadent duo optimi MSS. *ita nemo vir. ep. tum fuit*, quod alii aliter formarunt, Med. temere scripsit *ita nemo inventus fuit.* Particulam *ut* nullus liber agnoscit. Salmasius non ea qua polluit sagacitate: *ita ut nemo repertus fuerit*, vel, *nemo vir*

e populo tum fuerit. Atqui *vir ep.* nemo non intelligit sic dirimi debere, *in rep.*, a quo non longe discedunt aliquot Vaticani, *in re. pr.* Itaque Lampridio facili opera restituemus: *ita nemo in republica tum fuit.*

Hoc autem invento pulchre licebit in emendatione Vopisci uti, cuius sermonem simplicissimum editores incredibilem in modum deformavere. Verba sunt Taciti c. 13.

> *Et quoniam a Maeotide multi barbari eruperant, hos eosdem consilio atque viribus ut eo redirent compulit.*

Ista vero contendas cum scriptura Palatini et Vaticanorum, quam magna ex parte Med. exhibuit, *hos eosdem consilio atque iuri ut eo comperisset.* Huius sub integumentis quid boni lateret se non videre Salmasius aperte confitetur, quem in causa fraudis indaganda parum ingeniosum fuisse mirarer, nisi sub operis finem eum vires remisisse plus semel suspicaremur. Iam primum coniunge syllabas dispersas *virtute;* quibus dilapsis cum reliquum esset factum *ut*, librarii subiunctivum istum *comperisset* invehere potuerunt. Porro cum indicativum teneamus *compressit*, sua sponte nativa lectio emergit et librorum vestigiis consentanea:

> *hos eosdem consilio atque virtute compressit.*

Huius emendationis ope licebit etiam vitium in Spartiani Aelio Vero c. 2. ad sanam rationem revocare.

Verum alias inceptam persequemur disputationem. Nunc dum hunc, quem vobis Commilitones humanissimi tradimus, indicem et scholarum quasi saturam lancem animo contemplamur, quam olim festive coenam dubiam appellaverunt, suspectam illam et nocituram, nisi vos cauto iudicio praesidia doctrinarum in fructus studiorum convertere sciatis: commode libet in Menandreis desinere fr. inc. **474.**

> *Πολὺ κρεῖττόν ἐστιν ἓν καλῶς μεμαθηκέναι*
> *ἢ πολλὰ φαύλως περιβεβλῆσθαι πράγματα.*

Quibus quae subiecit editor egregie cordatus monita, operae pretium est descripsisse. „O praeclarum (inquit) et vere aureum dictum, quod utinam summi rerum nostrarum scholasticarum antistites toto pectore imbiberent et scholis nostris strenue sequendum etiam atque etiam commendarent! Nam ut nunc res est, detestabilis illa *πολυπραγμοσύνη*, quae omnes ordines pervasit, etiam iuventutem nostram transversam agit, ut nusquam consistat, nusquam pedem figat, nusquam habitet, cum ubique habitet. Quae pestis si latius serpat, verendum est ne omnis eruditio in circulatoriam loquacitatem versa funditus tollatur. *Πουλυμαθίη νόον οὐ διδάσκει.*“

Scr m. Augusto A. 1845.

I. Scholae Theologorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

CHR. FR. FRITZSCHE, Dr. DECANVS.

I. Publice *theologiam dogmaticam* popularibus usibus accommodandam exponet d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. III-IV.

II. Privatim *praecepta catechetica* tradet die Ven. et Sat. hor. III-IV.

III. Privatissime 1) *Theologiam dogmaticam* examinando repetet; 2) in *interpretando Novo Testamento* exercebit.

IV. In Seminario regio *exercitationes catecheticas* moderari perget.

H. CHR. FR. HUPFELD, Dr.

I. Publice *carmina libris V. T. historicis inserta* interpretabitur die Sat. hor. II-III.

II. Privatim 1) cursum interpretationis V. T. biennio absolvendum auspicabitur interpretando *libro Geneseos* quinis diebus hor. II-III. 2) *historiam librorum sacrorum V. T.* (quam vulgo *introductionem in V. T.* vocant) duce de Wettio tradet quinis diebus h. III-IV.

III. In Seminario regio theologico *exercitationes exegeticas V. T.* moderari perget.

B. A. MARKS, Dr.

I. Publice ex instituto Lenziano *historiam* et *doctrinam cantici ecclesiastici* tradere perget d. Lun. et Mart. h. IV-V.

II. Privatim 1) *Artem liturgicam* tradet, simul sacrorum publicorum ecclesiae historiam narraturus, d. Lun. Mart. Merc. h. III-IV. 2) *Theologiam pastoralem* exponet, quae ad interiora officii sacri munera rite obeunda, praecipue ad animorum curam pertinent, adumbraturus d. Iov. et Ven. h. III-IV.

III. In Seminario regio theol. *exercitationes homileticas et liturgicas* moderari perget.

I. MUELLER, Dr.

I. Publice *prolegomena* ad theologiam dogmaticam bis per hebd. h. VI-VII.

II. Privatim *theologiam dogmaticam* quotidie h. IX-X docebit.

III. Privatissime et gratis *societatis homileticae studia* consueto more moderari perget die Merc. h. II-V.

C. THILO, Dr.

I. Publice de *libris dogmaticis patrum ecclesiae et scholasticorum* disseret d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim *historiam dogmatum* tradet quotidie h. XI-XII.

III. In Seminario regio theologico *exercitationes classis historicae* moderari perget.

A. THOLUCK, Dr.

I. Publice de *vaticinationibus prophetarum V. T.* disseret binis p. h. h. dieb. Lun. et Iov hor. VI-VII.

II. Privatim 1) *Epistolas ad Corinthios* interpretabitur quinquies p. h. h. I-II. 2) *Theologiam ethicam* tradet quinquies p. h. h. X-XI.

III. In Seminario regio theologico *exercitationes* ad *disciplinam dogmaticam* et *ethicam* pertinentes moderari perget.

I. A. L. WEGSCHEIDER, Dr.

I. Publice in cursu *interpretationis librorum ss. N. T.* intra biennii spatium absolvendo *epistolam Iacobi* explicabit, latino sermone usurus, d. Sat. IX-X.

II. Privatim *epistolas ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses* interpretabitur quinquies per hebd. h. X-XI.

III. Privatissime et gratis in Seminario regio theol. *exercitationes ad interpretationem N. T.* pertinentes moderari perget d. Sat. h. X-XI.

2. *Professorum extraordinariorum.*

A. F. DAEHNE, Dr.

I. Publice *epistolas Pauli ad Timotheum et ad Titum* latino sermone interpretabitur d. Merc. et Sat. h. VIII-IX.

II. Privatim *evangelium Ioannis* latino sermone explicabit dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. VIII-IX.

III. Privatissime *historiam ecclesiae christianae* examinando repetet quater p. h. h. adh. def.

C. CHR. L. FRANKE, Dr.

I. Publice *exercitationes homileticas* moderabitur hor. defin.

II. Privatim *encyclopaediam* et *methodologiam studii theologici* tradet dieb. Lun. et Mart. hor. II-III.

H. E. F. GUERICKE, Dr.

I. Publice de *apocalypsi Iohannea* critice et exegetice disseret d. Merc. h. X-XI.

II. Privatim *introductionem historicam criticam in libros Novi Test.* dabit quater p. h. h. X-XI.

III. Privatissime et gratis *colloquia* de rebus ad scholas istas et ad theologiam in universum pertinentibus serere perget.

H. A. NIEMEYER, Dr.

I. Publice *Epistolam Pauli ad Galatas* binis p. h. scholis interpretabitur.

II. Privatim *Paedagogicen* tradet binis horis.

III. Privatissime *Exercitationes Seminarii Paedagogici* regere perget.

3. *Licentiatorum privatim docentium.*

C. SCHWARZ, Phil. Dr.

Scholas suo loco indicabit.

G. A. MEIER.

I. Gratis *philosophiae theologiaeque in ecclesia evangelica rationem* historice exponet d. Merc. h. VI-VII postmerid.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem priorem inde a rerum Christianarum initiis usque ad Bonifacium VIII.* enarrabit sexies p. h. h. XI-XII.

II. Scholae Iurisconsultorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

F. L. KELLER, Dr. DECANVS.

I. Publice *de ordine iudiciorum veterum Romanorum* disseret d. Sat. h. III-IV.

II. Privatim 1) *Historiam iuris Romani* d. Lun. Mart. Merc. Ven. Sat. h. X-XI. 2) *Institutiones* d. Lun. Merc. Iov. Ven. Sat. h. XI-XII. 3) *Processum civilem Germaniae communem* exponet quinquies p. h. h. III-IV.

III. Privatissime *exercitationes caussarum civilium tam agendarum quam diiudicandarum* instituet diebus Mart. Iov. Sat. h. XII-I.

C. F. DIECK, Dr.

I. Publice scholas examinatorias *de iure publico* habendas offert semel p. h.

II. Privatim 1) *Ius ecclesiasticum* quinquies p. h. hor. IX-X. tradet. 2) *Ius Germanicum publicum* proponet sexies h. II-III.

O. GOESCHEN, Dr.

I. Publice *Speculum Saxonicum* ex Homeyeri editione interpretabitur d. Ven. h. XI-XII.

II. Privatim docebit 1) *Iuris encyclopaediam* et *methodologiam* diebus Lun. Mart. Merc. h. IX-X. 2) *Ius Germanicum* privatum cum iure commerciorum sexies h. X-XI. addita d. Sat. h. XI-XII. 3) *Ius feudale* commune dieb. Lun. Mart. Iov. h. XI-XII.

H. W. E. HENKE, Dr.

I. Publice *scholas examinatorias* continuabit die Sat. h. XI-XII.

II. Privatim 1) *Ius criminum* tam *commune* quam *Borussicum* quotidie docebit h. X-XI. 2) *Theoriam processus criminalis* exponet quinquies p. h. hor. XI-XII.

C. WITTE, Dr.

I. Publice *Ius pignorum* et *hypothecarum* secundum praecepta iuris Romani exponet semel p. h. hor. IV-V.

II. Privatim 1) *Pandectas* tradet quotidie h. X-XII. 2) *Librum XXVIII. Digestorum* Iustiniani interpretabitur bis p. h. h. IV-V.

2. *Professoris extraordinarii.*

E. WIPPERMANN, Dr.

I. Publice de *statuum provincialium in Borussia origine* et *progressu* d. Sat. h. XII-I. disseret.

II. Privatim 1) *Historiam iuris* et *imperii Germanici* quinquies p. h. h. IV-V. tradet. 2) *Ius gentium Europaearum practicum* quinquies p. h. h. XII-I. docebit.

III. Privatissime et gratis scholas conversatorias *de iure publico* horis commodis instituet.

3. *Doctorum privatim docentium.*

F. TH. ECKENBERG, Dr.

1) *Scholas exegeticas* habebit bis per hebd. 2) *Ius Romanum* examinando repetet.

C. A. KALTENBORN, Dr.

I. Gratis de *constitutione imperii quondam Romano-Germanici* d. Ven. h. VIII-IX.

II. Privatim *ius naturae* seu *philosophiam iuris* quater p. h. hor. VIII-IX.

C. O. MUELLER, Dr.

I. Gratis *casus criminales* memoratu dignos semel p. h. hor. adh. def. cum auditoribus examinabit.

II. Privatim *theoriam processus criminalis* exponet quinquies h. XI-XII.

III. Privatissime *Pandectas* examinando repetet h. adh. def.

C. E. PFOTENHAUER, Dr.

Privatim 1) *Ius civile Borussicum* sen. d. h. X-XI. docebit. 2) *Ius hereditarium Romanorum* quinquies h. V-VI. exponet.

III. Scholae Medicorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

E. d'ALTON, Dr. DECANVS.

I. Publice *anatomiam organorum sensuum* dieb. Merc. et Ven. h. II-III tradet.

II. Privatim 1) *Osteologiam*, *syndesmologiam*, *myologiam* dieb. Lun. Mart. Iov. h. II-III. 2) *Splanchnologiam*, *angiologiam*, *neurologiam* quotidie h. III-IV exponet. 3) *Exercitationibus anatomicis practicis* horis matut. et pomerid. praeerit.

E. BLASIUS, Dr.

I. Publice doctrinam *de ossibus fractis et luxatis* dieb. Merc. et Sat. h. VI-VII tradet.

II. Privatim 1) *Chirurgiam generalem* et *specialem* sexies h. V-VI docebit. 2) Doctrinam *de fasciis*, *machinis*, *instrumentis chirurgicis* d. Mart. et Ven. h. VI-VII exponet. 3) *Exercitationibus clinicis chirurgicis* et *ophthalmiatricis* quotidie h. X-XI praeesse perget.

L. H. FRIEDLAENDER, Dr.

I. Publice *historiam medicinae* enarrabit d. Lun. et Iov. h. II-III.

II. Privatim *pharmacologiam* s. *universae materiae medicae* disciplinam tradet quotidie h. IX-X.

A. F. HOHL, Dr.

I. Publice *historiam artis obstetriciae* tradet.

II. Privatim 1) *Artis obstetriciae theoriam* sexies tradet h. IV-V. 2) *De morbis mulierum* et *infantum recens natorum* quater disseret h. V-VI. 3) *Exercitationibus clinicis obstetriciis* quotidie h. IX-X. praeesse perget.

P. KRUKENBERG, Dr.

I. Publice examinatorium *de rebus*, quae *ad historiam* et *curationem morborum* pertinent. continuabit die Sat. h. IV-VI.

II. Privatim 1) *Pathologiam* et *therapiam generalem* tradet senis p. h. dieb. h. mat. VII-VIII. 2) *Pathologiam* et *therapiam cutis, pulmonum, cordis* docebit sexies h. VIII-IX. 3) *Exercitationibus clinicis* praeerit quotidie h. XI-I.

A. G. VOLKMANN, Dr.

I. Publice binis dieb. h. V-VI *historiam generationis* et *evolutionis* exponet.

II. Privatim *physiologiam experimentalem* senis dieb. h. IV-V docebit.

3. *Doctoris privatim docentis.*

L. KRAHMER, Dr.

Privatim *Politiam medicam* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. VIII-IX.

IV. Scholae Philosophorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

H. LEO, Dr. DECANVS.

I. Publice perget in *interpretandis locis selectis scriptorum Anglo-Saxonicorum* semel p. h. h. XII-I.

II. Privatim *historiam* enarrabit *recentiorem* a fine Saec. XV. usque ad a. 1774 quinquies per hebd. h. III-IV.

G. BERNHARDY, Dr.

Privatim 1) *Disciplinam et argumenta studiorum philologicorum* (quam vulgo ferunt „Encyclopaedie und Methodologie des philologischen Studiums") ex formula libri sui tradet scholis quaternis h. IX-X. 2) *Aristophanis Equites* interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. h. X-XI.

Idem sodalibus Seminarii philologici *Horatii Satiras* proponet explicandas et consuetas disputandi scribendique exercitationes regere perget h. X-XI.

L. G. BLANC, Dr.

I. Publice 1) Victoris Hugonis *fabulam Hernani* d. Lun. et Iov. h. I-II item ut 2) *Petrarchae, Ariosti, Tassonis carmina selecta* die Mart. et Ven. h. XII-I interpretabitur.

II. Privatim *historiam litterarum Italicarum* docebit horis ac diebus adhuc definiendis.

H. BURMEISTER, Dr.

I. Publice *Historiam naturalem generis humani* bis p. h. h. IV-V tradet.

II. Privatim sodalibus Seminarii physici *zoologiam* tractantibus semel in h. h. commoda vacabit.

I. F. G. EISELEN, Dr.

I. Publice *statisticen regni Borussici* tradet quinquies p. hebd. h. V-VI.

II. Privatim 1) *Ius naturae* sive *philosophiam iuris* docebit quaternis p. h. scholis h. XI-XII. 2) *Oeconomiam nationalem* exponet quater p. h. h. IV-V.

I. E. ERDMANN, Dr.

I. Publice *historiam philosophiae inde a Kantio* enarrabit binis p. h. horis.

II. Privatim 1) *Logicen* et *Metaphysicam* docebit (secuturus breviarium suum ed. 2. Halle 1843. Lippert) quinquies p. h. h. IV-V. 2) *Historiam philosophiae usque ad Kantium* tradet quinis p. h. scholis h. V-VI.

G. G. GERLACH, Dr.

I. Publice 1) *Philosophiam fundamentalem, praemissa in philosophiam introductione,* ternis p. h. scholis h. IV-V. 2) *Historiam philosophiae recentioris* inde a Cartesio ternis p. h. diebus h. IV-V.

II. Privatim *philosophiam religionis* quater p. h. h. V-VI docebit.

E. F. GERMAR, Dr.

I. Publice *geognosiam* quater p. h. h. III-IV.

II. Privatim *mineralogiam* sexies p. h. hor. XII-I docebit.

III. Privatissime et gratis *demonstrationes mineralogicas* in usum sodalium Seminario mathematico et physico adscriptorum instituet.

I. G. GRUBER, Dr.

Publice *poeseos Germanicae Saec. XVIII et XIX historiam* tradet quaternis dieb. h. VI-VII.

H. F. G. HINRICHS, Dr.

I. Publice *de vita* et *scriptis Goethei* et *Schilleri* disseret h. def.

II. Privatim 1) *philosophiam politices* ter p. h. h. III-IV d. Lun. Mart. Iov. exponet. 2) *Ius naturae et gentium* iisdem diebus h. IV-V docebit.

M. H. E. MEIER, Dr.

I. Privatim *vitam domesticam* et *religiones Romanorum* quinquies p. h. h. XI-XII enarrabit.

II. Privatissime et gratis exercitia Seminarii philologici d. Lun. et Iov. h. III-IV ita moderabitur, ut sodalibus et *Aristophanis fabulam Equitum* proponat interpretandam et de rebus philologicis scribendi disputandique praebeat opportunitatem.

A. F. POTT, Dr.

I. Publice 1) *elementa linguae Sanscritae* Boppii grammatica minore usurus docebit d. Merc. et Sat. h. XI-XII. 2) *Ethnographiam populorum Asiaticorum* dabit ter p. h. h. IV-V d. Mart. Merc. Ven.

II. Privatim *introductionem generalem* in linguarum studium tradet ter p. h. h. III-IV d. Mart. Merc. Ven.

AEM. ROEDIGER, Theol. et Phil. Dr.

I. Publice *linguam Syriacam cum Hebraea comparatam* docebit bis p. h. h. def.

II. Privatim 1) *Psalmos* interpretabitur quinquies p. h. h. II-III. 2) *Syntaxin Hebraeam* exponet adiunctis exercitationibus practicis ternis p. h. scholis III-IV.

III. Privatissime in Societate orientali *linguam Rabbinicam* docebit h. defin.

A. ROSENBERGER, Dr.

I. Publice *Selecta Astronomiae capita* explicabit bis per hebd.

II. Privatim 1) *Calculum integralem* docebit quater p. h. 2) *Staticam* et *mechanicam* quater p. h.

III. Privatissime et gratis *exercitia Seminarii mathematici et physici* moderabitur h. defin.

L. ROSS, Dr.

Ex itinere redux scholas suas indicabit.

D. F. L. DE SCHLECHTENDAL, Dr.

I. Publice de *plantis cryptogamis* disseret bis p. h. d. Merc. et Sat. h. II-III.

II. Privatim *Botanices alteram partem* tractabit, familias plantarum naturales et plantas medicas illustrans, quinquies p. h. h. V-VI.

III. Privatissime et gratis *exercitia botanica* moderabitur in Seminario mathematico et physico h. comm.

I. S. C. SCHWEIGGER, Dr.

I. Publice studia eorum, qui Societate ad physicam spectante iunguntur, moderabitur d. Merc. h. III-IV aliisque diebus et horis ad *instituenda physica experimenta* commodis.

II. Privatim *physicam* tradet in usum eorum, qui scholis iam interfuerunt chemicis, earum potissimum rerum physicarum, quae ad chemiam spectant, habita ratione h. XI-XII quinquies.

III. Privatissime et gratis Academicorum more in disputatione et dialogo *de iis* aget *disciplinis physicis, quae in philosophicis rebus inde ab antiquissimis usque ad recentissima tempora maximi fuerunt momenti,* ratione habita libelli sui: „Ueber naturwissenschaftl. Mysterien in ihrem Verhältnisse zur Litteratur des Alterthums. Halle bei Anton 1843" dieb. Merc. et Sat. h. VI-VII.

L. A. SOHNCKE, Dr.

I. Publice *exercitia Seminarii mathematici* moderabitur.

II. Privatim 1) *Mathesin elementarem* aut *calculum variationum* diebus Lun. Mart. Iov. Ven. VIII-IX. 2) *Calculum differentialem* iisdem diebus h. IX-X docebit.

2. *Professorum extraordinariorum.*

M. DUNCKER, Dr.

I. Publice *de rebus politicis antiquitatum civitatum* disseret bis p. h. d. Merc. et Sat. h. XII-I.

II. Privatim *historiam medii aevi* quaternis p. hebd. scholis tradet h. VIII-IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes Societatis historicae* moderabitur.

I. C. GARTZ, Dr.

I. Publice *doctrinam de cognationibus geometricis*, quas collineationem, affinitatem etc. vocant, d. Merc. et Sat. h. XI-XII.

II. Privatim 1) *Trigonometriam* planam et sphaericam d. quaternis h. VI-VII. 2) *Calculum differentialem* iisdem diebus h. XI-XII docebit.

R. F. MARCHAND, Dr.

I. Publice *elementa chemiae physiologicae* secundum librum a se editum (Physiologische Chemie, Berl. 1844.) exponet bis p. h. hor. V-VI.

II. Privatim *chemiam experimentalem generalem* docebit sexies p. h. h. XI-XII.

III. Privatissime 1) *Demonstrationes physiologico-chemicas* habebit semel p. h. gratis. 2) *Exercitationes chemicas* in laboratorio chemico quotidie moderari perget h. VIII-XI.

I. SCHALLER, Dr.

I. Publice *introductionem in philosophiam* dabit hor. def.

II. Privatim 1) *Anthropologiam et Psychologiam* quinquies p. h. h. IV-V. 2) *Philosophiam iuris* et *moralem* quinquies p. h. h. V-VI.

C. STEINBERG, Dr.

I. Publice *chemiam forensem* s. de *venenorum exploratione* tradet bis p. h. h. def.

II. Privatim 1) *Elementa chemiae experimentalis* docebit quater p. h. h. XI-XII. 2) *Pharmaciam* experimentorum ope docebit quater p. h. h. II-III.

Idem *exercitationes chemicas* practicas in ergasterio suo moderari perget.

H. ULRICI, Dr.

I. Publice *Shakspearii* et *Goethii* poetarum *ingenia* inter se comparabit eorumque dramata nonnulla explicabit binis p. h. scholis d. Mart. et Ven. h. VI-VII.

II. Privatim *logicam et metaphysicam* docebit ternis p. h. scholis d. Lun. Mart. Iov. h. V-VI.

III. Privatissime et gratis *colloquia de praecipuis problematibus metaphysicis* offert h. adh def.

A. WEISE, Dr.

I. Publice *doctrinam* et *historiam picturae* tradet.

II. Privatim conversatoria *de chalcographia* instituet.

3. *Doctorum privatim docentium.*

F. A. ARNOLD, Dr.

I. Gratis *exercitationes Arabicas* instituet semel p. h. h. def.

II. Privatim *librum Iobi* interpretabitur quinquies p. h. h. II-III.

C. A. BUHLE, Dr.

Privatim 1) *Zoologiam* s. historiam animalium e breviario suo quaternis p. h. lectionibus h. IX-X docebit. 2) *Historiam animalium domesticorum* quater p. h. enarrabit. 3) *Technologiam* excursionibus instituendis illustrabit h. II-III. 4) *Encyclopaediam oeconomiae* dictata secuturus bis p. h. h. III-IV docebit.

H. EISENHART, Dr.

I. Gratis *Isagogen in Statisticen generalem et comparativam populorum moderatiorum*, inprimis *stirpis Germanicae* tradet bis p. h. d. Lun. et Iov. h. II-III.

II. Privatim *oeconomiam politicam* docebit ter p. h. d. Mart. Merc. Ven. h. II-III.

F. TH. HAARBRUECKER, Dr.

I. Gratis 1) *Zohairi Moallakah* exponet semel p. h. h. def. 2) De *authentia Pentateuchi* disseret d. Lun. h. III-IV.

II. Privatim *Iesaiae vaticinia* interpretabitur sexies h. II-III.

G. HANKEL, Dr.

Privatim *physicam experimentalem* tradet quinquies h. IV-V.

I. G. AB HOYER, Dr.

De *bello septennali* disseret semel p. h.

I. H. KRAUSE, Dr.

I. Privatim *mythologiam* s. religionis Graecorum atque Romanorum historiam senis p. hebd. horis accuratius definiendis explicabit.

II. Privatissime *disputationes Latinas* de argumentis philologicis, historicis, ex antiquitate repetitis continuabit.

C. KUEHN, Dr.

I. Gratis *Aristotelicam philosophiam* tradet semel p. h. d. Merc. h. VI-VII.

II. Privatim *psychologiam* praemissis praecipuis metaphysices capitibus exponet quater p. h. hor. VI-VII.

AEM. SOMMER, Dr.

I. Gratis 1) *Historiam litterarum Germanicarum inde a Lessingio* tradet semel p. hebd. h. VI-VII. 2) *Gualtheri a Vogelweide carmina* interpretabitur semel p. h. h. XI-XII.

II. Privatim *grammaticam linguae Germanicae* docebit ternis p. h. diebus h. XI-XII.

A. SPRENGEL, Dr.

I. Privatas habebit lectiones 1) *de re herbaria universa*, 2) *de botanice pharmaceutica.*

II. Privatissime vacabit scholis repetitoriis et examinatoriis historiam naturalem spectantibus.

FR. STAEGER, Dr.

Hac hieme scholas non habebit.

G. WEISSENBORN, Dr.

I. Gratis *Schleiermacheri systema* exponet bis p. hebd. h. def.

II. Privatim *philosophiam religionis* docebit quater p. hebd. h. VI-VII.

III. Privatissime *historiam philosophiae* examinando repetet ternis p. h. horis.

V. SCHOLAE LECTORIS PVBLICI RECENTIORES LINGVAS DOCENTIS.

H. G. HOLLMANN, Dr.

I. Publice *linguam Hispanicam* docebit.
II. Privatim *Italicam et Anglicam.*

VI. ARTIVM EXERCITIA.

I. *Historiam musices ecclesiasticae* publice tradet atque in scholis hymnorum ecclesiasticorum cantui destinatis *per quattuor vocum symphoniam cantandi artem* docebit FR. NAUE, Philos. Dr. et Director musices. Idem *artem vocum gravium et acutarum harmoniam in symphoniis regendi* privatim explicabit, neque iis deerit, qui scholis privatissimis musicam sive vocalem sive instrumentalem addiscere cupient.
II. In omnibus *artis graphicae et pictoriae* generibus institutionem theoreticam et practicam offert C. GVIL. HERSCHEL.
III. *Artem equitandi* in hippodromo regio docebit ANDRÉ.
IV. *Artem rudibus batuendi* profitetur LOEBELING.
V. *Saltandi artem* monstrabit WEHRHAHN.

VII. PVBLICA DOCENDI DISCENDIQVE SVBSIDIA.

I. *Bibliotheca academica* civibus huius universitatis patebit diebus Merc. et Sat. hora I — III: eadem professoribus et doctoribus et seminariorum sodalibus aperietur dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. X — XII. — *Bibliotheca Hungarica* aperietur dieb. Merc. et Sat. hor. I — II.
II. *Theatrum anatomicum* et *Musea* tum *anatomicum* tum *zootomicum.* — Aditus ad *Meckelii collectiones anatomicas* dabitur suo loco petentibus.
III. *Hortus botanicus* et *Herbarium academicum.*
IV. *Nosocomia clinica* 1) medicum, 2) chirurgicum, 3) obstetricium.
V. *Specula astronomica.*
VI. *Museum physicum* et *Ergasterium chemicum.*
VII. *Museum zoologicum* hor. I — III. die Mercurii aperietur.
VIII. *Museum mineralogicum* iis, qui studiis mineralogicis iam operam dederunt, die Mart. h. II — IV aperietur.
IX. *Collectionem imaginum aeri incisarum* dieb. Mart. et Sat. hor. I — II. inspiciendi copiam faciet WEISE, Phil. Dr. et Prof. extraordinarius.
X. *Societatis Thuringo-Saxonicae* ad investigandas patriae antiquitates institutae apparatum monumentorum antiquorum inspiciendi copiam faciet FOERSTEMANN, Theol. et Phil. Dr.

VIII. SEMINARIA.

1) *Theologicum.* Exercitationibus exegeticis Vet. et Nov. Testamenti praesunt HUPFELD et WEGSCHEIDER, historicis THILO, dogmaticis THOLUCK, homileticis MARKS, catecheticis FRITZSCHE.
2) *Paedagogicum.* Huic praeest NIEMEYER.
3) *Philologicum.* Huic praesunt MEIER et BERNHARDY.
4) *Mathematicum omniumque disciplinarum physicarum.* Huic praesunt SCHWEIGGER, GERMAR, ROSENBERGER, DE SCHLECHTENDAL, SOHNCKE, BURMEISTER, MARCHAND et STEINBERG.

SCHOLAE HORARVM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORVM.	II. IVRISCONSVLTORVM.	III. MEDICORVM.	IV. PHILOSOPHORVM.
VII-VIII.	„ „ „	„ „ „	*Krukenberg* pathol. et therap. gener. (6).	„ „ „
VIII-IX.	*Daehne* epist. ad Timoth. et Tit. (2) evang. Ioh. (4).	*a Kaltenborn* ius natur. (5). et de constit. imp. quondam Romano-Germ. (1).	*Krukenberg* pathol. et therap. spec. (6). *Krahmer* polit. med. (4).	*Sohncke* math. elem. vel calc. variatt. (4). *Duncker* hist. med. aevi (4). *Marchand* exerc. chem. (6).
IX-X.	*Mueller* theol. dogmat. (6). *Wegscheider* epist. Iac. (1).	*Dieck* ius eccles. (5). *Goeschen* encycl. et method. (5).	*Friedlaender* pharmacol. (6). *Hohl* exercitt. clin. (6).	*Bernhardy* encycl. philol. (4). *Sohncke* calcul. different. (4). *Marchand* exercitt. chem. (6). *Buhle* zoolog. (4).
X-XI.	*Thilo* de libr. dogm. patr. eccles. et scholast. (1). *Tholuck* theol. eth. (5). *Wegscheider* epist. ad Cor., Gal., Ephes., Coll., Phil., Thessal. (5). *Idem* semin. exerc. exeg. (1). *Guericke* introd. histor. crit. in libr. N. T. (4). *Idem* de apoc. Ioh. (1). *Schwarz* histor. et phil. relig. (4).	*Keller* hist. ius Rom. (5). *Goeschen* ius Germ. priv. (6). *Henke* ius crim. (6). *Witte* pand. (6). *Pfotenhauer* ius civ. Boruss. (6).	*d'Alton* exercitt. anatom. (6). *Blasius* exercitt. clinic. chir. (6).	*Bernhardy* Aristoph. Equ. (3). *Idem* exercitt. Sem. (2). *Marchand* exercitt. chem. (6).
XI-XII.	*Thilo* histor. dogmat. (6). *Meier* hist. eccles. (6).	*Keller* institutt. (5). *Goeschen* ius feud. (5). *Idem* spec. Sax. (1). *Idem* ius Germ. priv. (1). *Henke* proc. crim. (5). *Idem* scholl. exam. (1). *Witte* pandect. (6). *Mueller* proc. crim. (5).	*d'Alton* exercitt. anatom. (6). *Krukenberg* exerc. clin. (7).	*Eiselen* ius nat. (4). *Meier* vit. dom. et relig. Rom. (5). *Pott* elem. ling. Sanscr. (2). *Schweigger* phys. (5). *Gartz* de cogn. geom. (2). *Idem* calc. diff. (4). *Marchand* chem. experim. gen. (6). *Steinberg* elem. chem. experim. (4). *Sommer* gramm. germ. (3). *Idem* Gualth. a Vogelw. (3).
XII-I.	„ „ „	*Keller* exercitt. causs. civ. (3). *Wippermann* ius gent. europ. pract. (5). *Idem* de stat. prov. in Bor. orig. et progr. (1).	*Krukenberg* exercitt. clin. (7).	*Blanc* Petrarc. Ar. Tass. carm. sel. (2). *Germar* mineral. (6). *Leo* scriptt. anglos. (1). *Duncker* de reb. polit. antiq. civ. (2).
I-II.	*Tholuck* epist. ad Corinth. (5).	„ „ „	„ „ „	*Blanc* Vict. Hug. (2).
II-III.	*Hupfeld* lib. Genes. (5). *Idem* carm. libr. V. T. hist. insert. (1).	*Dieck* ius Germ. publ. (6).	*d'Alton* osteol. syndesm. myol. (3). *Idem* anatom. organ. sens. (2). *Friedlaender* hist. med. (2).	*Roediger* psalm. (5). *de Schlechtendal* plantas cryptog. (2). *Steinberg* pharmac. (4). *Arnold* Iob. (5). *Buhle* technol. *Eisenhart* oecon. polit. (3). *Idem* ius Boruss. publ. (2). *Haarbruecker* Iesaiae. vatic. (6).
III-IV.	*Fritzsche* theol. dogm. (4). *Idem* praec. catech. (2). *Hupfeld* hist. libr. ss. V. T. (5). *Marks* art. liturg. (3). *Idem* theol.	*Keller* proc. civ. (5). *Idem* ord. iud. vett. Rom. (1).	*d'Alton* splanchn. angiol. neurol. (6).	*Germar* geogn. (4). *Hinrichs* philos. polit. (3). *Leo* histor. recent. (5). *Meier* exercitt. sem. (2). *Pott* introd. in ling. stud.

SCHOLAE HORARVM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORVM.	II. IVRISCONSVLTORVM.	III. MEDICORVM.	IV. PHILOSOPHORVM.
	pastor. (2). *Mueller* soc. homil. (1).	" " "	" " "	(3). *Roediger* synt. Hebr. (3). *Schweigger* exerc. soc. phys. (1). *Buhle* encycl. oeconom. (2). *Haarbruecker* authent. Pentateuch. (1).
IV - V.	*Marks* hist. et doctr. cant. eccles. (2). *Mueller* soc. homil. (1).	*Witte* interpret. l. 28. Dig. (2). *Idem* ius pign. (1). *Wippermann* hist. iur. et imper. Germ. (5).	*Hohl* obstetr. (6). *Krukenberg* examin. path. et therap. (1). *Volkmann* physiol. experim. (6).	*Burmeister* hist. natur. gen. hum. (2). *Eiselen* oecon. nation. (4). *Erdmann* log. et metaph. (5). *Gerlach* philos. fundament. (3). *Idem* hist. philos. recent. (3). *Hinrichs* ius nat. et gent. (3). *Pott* ethnogr. pop. Asiat. (3).
V - VI.	" " "	*Pfotenhauer* ius hered. Rom. (5).	*Blasius* chirurg. gen. et spec. (6). *Hohl* morb. mul. et infant. (4.) *Krukenberg* exam. (1). *Volkmann* hist. generat. et evolut. (2).	*Eiselen* statist. Bor. (5). *Erdmann* hist. philos. (5). *Gerlach* philos. relig. (4). *de Schlechtendal* botan. (5). *Marchand* element. chem. physiol. (2). *Schaller* philos. iur. et mor. (4). *Ulrici* log. et metaph. (3).
VI - VII.	*Mueller* proleg. ad theol. dogm. (2). *Tholuck* de vatic. proph. V. T. (2). *Meier* phil. et theol. in eccles. evang. rat. (1).	" " "	*Blasius* doctr. de fasc. et instrum. (2). *Idem* de ossib. fract. et luxat. (2).	*Gruber* hist. poes. Germ. (4). *Schweigger* disputt. phys. (2). *Ulrici* de Shakesp. et Goeth. (2). *Gartz* trigonom. plan. et sphaer. (4). *Kuehn* psychol. (4). *Idem* Arist. philos. (1). *Sommer* hist. litt. Germ. (1). *Weissenborn* philos. relig. (4).

HORIS DEFINIENDIS.

SCHOLAE THEOLOGORVM.	SCHOLAE IVRISCONSVLTORVM.	SCHOLAE MEDICORVM.	SCHOLAE PHILOSOPHORVM.
Fritzsche exerc. sem. catech. *Idem* theol. dogm. *Idem* interpret. N. T. *Hupfeld* exerc. sem. exeget. *Marks* exerc. sem. homil. et liturg. *Tholuck* exercitt. sem. dogmat. *Daehne* examin. hist. eccles. christ. *Niemeyer* scholl. omn.	*Dieck* schol. exam. de iure publ. *Wippermann* schol. convers. de iure publ. *Mueller* cas. crim. *Idem* repett. Pand.	*d'Alton* exercitt. anat pract. *Hohl* hist. art. obstetr.	*Blanc* hist. litt. Ital. *Burmeister* Sem. phys. *Erdmann* hist. philos. (2). *Germar* sem. phys. *Hinrichs* de vit. et scriptt. Goethii et Schilleri. *Roediger* ling. Syriac. cum Hebr. compar. (2). *Idem* ling. Rabbin. in soc. orient. *Rosenberger* calc. integr. (4). *Idem* stat. et mechan. (4). *Idem* select. astron. capp. (2). *Idem* exerc. sem. phys. et math. *de Schlechtendal* exerc. bot. sem. phys. *Schweigger* exper. in soc. phys. *Sohncke* exercitt. semin. math. *Duncker* exerc. soc. hist. *ab Hoyer* de bell. sept. (1). *Marchand* demonstr. phys. chem. *Schaller* introd. in philos. *Idem* psychol. (4). *Steinberg* chem. forens. *Idem* exercitt. chem. pract. *Ulrici* colloq. de praecip. probl. metaph. *Weise* doctr. et hist. pict. *Idem* convers. de chalcogr. *Arnold* exerc. Arab. *Buhle* hist. anim. domest. *Haarbruecker* Zohairi Moall. *Krause* mythol. (6). *Idem* disputt. Lat. *Sprengel* scholl. omn. *Weissenborn* Schleierm. syst. *Idem* phil. hist.



INDEX
SCHOLARVM

IN VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCXLVI

A DIE **XX APRILIS** VSQVE AD DIEM **XIV AVGVSTI**

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Inest Prooemii de Scriptoribus Historiae Augustae P. II. Scr. G. Bernhardy

---

HALAE

TYPIS HENDELIANIS

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

EDVARDVS d'ALTON

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

In nupero Prooemio, quo historiam criticam *Scriptorum Historiae Augustae* inchoabamus, simplicissimas emendationis leges cum aliis locis per interpolationem adulteratis confirmavimus, tum significatum est eadem ope, qua Vopiscus salutem recuperavit, etiam *Spartianum* in Aelii Veri c. 2. facile sanari. Huius igitur sermonem continuo par est expendi, siquidem telam leviter deductam aliquantum pertexere libet et novis quibusdam si forte luminibus exornare. Spartianus vero Caesarem tradens ab Hadriano lectum et quasi cooptatum, non ut solebat in imperii spem sed in societatem curarum, haecce posuit:

> *Aelius Verus . . . nihil habet in sua vita memorabile: nisi quod primus tantum Caesar est appellatus, non testamento, ut antea solebat —, sed eo prope genere quo nostris temporibus . . . Caesares dicti sunt, quasi quidam principum filii viri et designati augustae maiestatis heredes.*

Oratio non uno nomine difficilis: namque primum offendit singularis observatio scriptoris, qui tituli Caesarei notionem attulerit a plerisque reprehensam et improbatam; deinde nemo fando percepit mirificam formulam *filii viri*, quae neque promptum neque verum habet explicatum. Iam historicam quaestionem non iuvat uberius persequi, quamquam et *Salmasius* eam plane perturbavit, et qui ceteris diligentius rem exposuit, *Spanhemius* de U. et Pr. Num. T. II. p. **342** — 357. sive in Iuliani Orat. I. p. 43 — 45. reliquit nonnulla posteris perficienda. Summatim tamen delibemus, quae ad intellectum Spartiani nosse commodum sit. Donec igitur gens Iulia rerum potiebatur, ex vero Caesares appellabantur, qui in eam asciti simul spem hereditatis et successionis acciperent; eaque lege Caesarum seriem complebant Caius et Lucius, deinde Tiberius, Drusus et Germanicus, postremo Britannicus et Nero. Sed post extinctos Iulios cum ad principatum vocarentur, qui Caesaream domum neque natura neque adoptione contingerent, primum illi reliquis dignitatum suarum titulis Caesarem adiecere, quo successionem quasi stirpis eiusdem (τὴν τοῦ γένους σφῶν διαδοχήν, ut Dio Cassius ait) et instuvam

Iulii sanguinis nobilitatem sibi arrogarent; itaque iuncta Caesaris et Augusti appellatio unum ad principem transferebatur. Solus illud nomen omisit vel neglexit Vitellius. Deinde Iuliorum more Caesares ii fiebant, qui principalem in domum atque succedendi spem transirent. Primus igitur Galba Pisonem ascivit Caesarem; Vespasiano superstite Titus et Domitianus, tanquam candidati principatus, Caesares dicti; Traianus ab Nerva Caesar declaratus participem curarum militarium egit; nec desunt exempla citerioris aevi, Clodii Albini, Getae, Numeriani, aliorum, quos videmus Caesares, hoc est, secundi fastigii principes, celebrari. Hactenus falli videretur Spartianus, qui Verum tradiderit *primum esse Caesarem appellatum;* nisi *tantum* interposuisset. At enim in causa prae ceteris aperta et ad vulgus exposita, quivis historiae Augustae non ignarus ut eam nullo librorum usu teneret, quam errandi causam et occasionem fingemus? Immo perspexerat ille singularem Veri condicionem extitisse, quae minorem iuris Caesarei gradum argueret: siquidem Aelius, etsi socius tribuniciae potestatis fuit, splendidissimos tamen in honores non est assumptus, sed solam Caesaris speciem ostentavit, immatura morte interceptus. Qui cum recens ab adoptione Pannoniis impositus sit, ut vicarius vel legatus Augusti haberi posset: non temere fecit Spartianus, quippe testis imperii inter Augustos et novicios Caesares divisi, Verum comparans cum Maximiano et Constantio Chloro Caesaribus, qui duobus sub Augustis in bellis et provinciis agebant, similes illi regulis Hispanorum, quos nostrates vocant *Vice-Könige.* Eamque similitudinem recte animadversam esse nummis demonstrat *Zoëga* in Nummis Aegypt. Imperat. p. 162. Itaque Spartianus si minus eleganter, at ex fide historiae: *primus tantum Caesar est appellatus.*

His confectis ad illam dubitationem progredi licebit, quam movet commentum istud, *principum filii viri.* Suadebat autem *Io. Cannegieterus* in Collat. Legg. Mosaic. Tit. X. §. 3. *filii veri:* quam suspicionem ambigas utrum sensus an oratio certius repellat. Nam filii *veri* quo pacto dicantur filii per adoptionem facti, quos vel *quasi* praemissum filios adumbratos esse et in iura natorum ascitos clamat? Paulo melior *Io. Arntzenii* in Mamertini Paneg. p. 11. coniectura *filii iure;* modo faveret verborum collocatio. Nos cum voces in libris Hist. Aug. intellexerimus identidem distractas, vestigia litterarum *viriet* ad normam scripturae apud Vopiscum Tac. 13. emendatae sic interpretamur, ut efficiatur *virtute.* Nunc demum verba hunc in modum concinnanda, *quasi quidam principum filii, virtute designati augustae maiestatis heredes,* recte pronunciant, quod minime premi debuit, Caesares non esse natos, sed electos et constitutos propter eximiam laudem et res praeclare gestas.

Iam Aelii Veri nomen facit ut in memoriam *Vopisci* redeamus: cuius narratio luculentissima cum explicationem, non emendatorum artes desideret, patiemur eam grato quodam temperamento cum Spartiano coniungi. Servavit autem Vopiscus in vita Saturnini c. 8. epistolam observationibus egregiis plenam, qua Hadrianus ingeniosam Alexandrinae gentis levitatem describit et exquisitis salibus castigat. Miserat eam ad Servianum Consulem, qui sororem principis Paulinam in matrimonio habebat. Illarum quidem litterarum non esset cur per hanc opportunitatem recordaremur, nisi sub finem verba intervenirent prima specie minime suspecta (neque editoribus quicquam suboluit):

> *denique ut primum inde discessi, et in filium meum Verum multa dixerunt, et de Antinoo quae dixerunt comperisse te credo.*

Filium Verum intelligunt, opinor, Verum Caesarem; at res secus se habet, si rationes temporum paulo diligentius ineantur. Nempe scripsit Hadrianus epistolam, postquam Aegypto discesserat, hoc est, post annum 886. Porro Verum constat non ante a. 888. adoptatum fuisse. Medium quasi tempus implevit Serviani consulatus, ut apparet, tertius, quem a. 887. susce-

pit, Vibio Varo collega. Atqui constanter tradit Spartianus cum Servianus tanquam affectator imperii mortem obire coactus fuisset, Verum ad Aelios transisse. Quid igitur censes? idemne libellus, ad Servianum consulem missus, Servianum superstitem una cum Vero post illius mortem adoptato potuit complecti? Neque tamen Serviani nomen in suspicionem incurrit, siquidem Paulinae maritum in Hadriani vocibus agnoscimus, *Calices . . . transmisi, tibi et sorori meae specialiter dedicatos*; nedum ut Spartiano fidem detrahamus. At licebit, inquit, *filium meum* in caritatis et tenerrimi sensus significationem pertrahi. Placuit ista venia, qua locum impeditum cum fide historiae conciliaret, *Flemmero* Havniensi scriptori de itineribus Hadr. p. 113. „Brevi dicam, quid sentiam. Scripta est epistola anno 887. et L. Verus adoptatus est a. 889.; nihilo tamen minus Hadrianus in ipsa epistola ante adoptionem eum filium appellat, quod iuvenem pulcherrimum, assiduum itineris comitem, paterno amore amplectebatur et filii loco habere consueverat." In his ignoramus unde homo callidus petierit *assiduum itineris comitem*, quem Spartianus Hadr. 23. nihil nisi *forma commendatum* narret, iisque demum temporibus in Aeliam gentem ascitum, cum *princeps aevo ingravescente morbis tristioribus* premeretur. Sed quod gravius est et extra dubitationem positum, illa *filium meum Verum* ut aut in ipsius Veri compellatione aut familiaribus in litteris sensum caritatis spirare queant et tueri, publica tamen in epistola diligenter et proprio significatu de Vero per adoptionem Caesare debent accipi. Omnibus igitur perpensis satis constat, difficultatem nisi remoto aut explicato Veri nomine sublevari non posse. Atqui nihil excogitari licet, quod verbis corruptionem arguat inesse. Quamobrem una relinquitur, quae plerisque praeter expectationem accidet, et lenissima ratio, non ut de Vero Caesare, sed de *Marco Antonino* cogitemus, quem et adolescentem dictum fuisse *Verum* sive *Verissimum* (cf. Eusebii H. E. IV, 14. extr. V, 1.), et in gremio Hadriani, qui puerum mirifice dilexit suamque in familiam assumpsit, peramanter educatum constat: v. Capitolinus in vita Marci c. 4. Ac scite monuerat H. Valesius in Ammi. Marcell. XXVII, 6. extr. eum qui Verus vulgo dicatur, a Graecis Lucium; contra qui Marcus, Verum appellari; cuius observationi adiungas Salmasium in Marci c. 7. p. 317.

Hadrianus vero princeps iterum nos ad Spartianum revocat. Etenim in his fortuitis libellis usu venit, ut aliae ex aliis quaestionibus serantur ac festinanti moram obiiciant, praesertim in ea materia, quae iunctam critici et interpretis opem toties efflagitet. Spartianus ubi vitam Hadriani privatam singulis capitibus illustrat, haec memoravit c. 17.

> *Ad deprehendendas obsonatorum fraudes quum cum plurimis summatibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam ultimis quibusque iussit apponi.*

Frivola quidem res et infra historiae dignitatem posita, sed ad artis usum non spernenda, si quis ab erroribus criticorum proficere sciat. Primum enim geminatum *cum* debetur *Salmasio*, qui *summatibus* in Palatino libro deprehensum (haec autem constans est MSS. lectio), reiecta vett. edd. interpolatione *sumentibus*, in noviciam scripturam *quum cum plurimis summatibus pasceret* convertit, sic ut *pascere* absolute dictum haberetur pro eo quod est convivium exhibere: nempe solennes epulas ab Imperatore magistratibus ceterisque proceribus fuisse apparatas. At ut pascere proxime abest ab significatione verbi convivari, ita *cum plurimis pascere* prorsus est inaudita structura, quam Salmasius, si posset, larga manu confirmasset. Quamquam hoc levioris fuerit momenti; consilium autem et rationem eius inventi, quo Hadrianus, summates dum epulis excipit et fercula de mensis etiam ultimis quibusque ad se deferri iubet, fraudes obsonatorum deprehenderit, ex istis verbis nemodum cognovit. Nimirum *fercula de aliis mensis* opponuntur tabulis primariis, quas non ambigue volumus indicari. Ergo viderat aliquid *Casaubonus*, artificium principe non indignum suspicatus, qui cibos ab imperatoria mensa plurimum

remotos suum in conspectum protraxisset; sed criticam improspere tractavit, deceptus ut solet interpolata Regii libri scriptura. Nam quod refingit, *cum plurimos suis sumptibus pasceret,* nemo ferat *suis sumptibus* inutili profluentia verborum interiectum. Longe fortiorem medelam *Reiskius* in Constantini Cerim. p. 169. admovit, ubi de ἀποκοπτῇ aulae Byzantinae dissertans hanc lusit coniecturam, *ad deprehendendas obsonatorum fraudes cum plurimis* (scil. vicibus, h. e. ut plurimum, plerumque, quam in rem male comparat c. 20.) *summa tabula pasceret, fercula* etc. Saltem vir sagacissimus animum adverterat quid sententia posceret, nec fugit eum *summatibus* vitiosum esse nomen, quod praeter affectatores sermonis prisci nemo captavit. Iam mensas mensis invicem opponi cum intelligamus, sensui facilis et certa mutatio sic subveniet, ut vocem non tritam ex latebris eruamus. Nimirum Spartianus posuerat; *cum plurimis sigmatibus pasceret;* quod nos solemus, *wann er an vielen Tischen Tafel hielt. Simma* pariter ex *sigma* depravatum, cuius rei causam ab assimilationis studio repetimus saeculis citerioribus sueto (v. *Diez Grammatik der Roman. Sprachen* I. p. 218.), exemplis muniit ipse Salmasius in Lampridii Heliog. 25. In epulis autem sigmata sive mensas semirotundas sub Imperatoribus adhibitas et consuetudine celebratas fuisse nemo nescit, qui aut Martialem triverit aut scriptores de conviviis et antiquitatibus convivalibus. Vide tamen, si placet, Savaronem in Sidonii Epp. II, 2. p. 109. Hadrianus igitur, quoties in plures mensas distribuebat convivas earumque numerus et longinquitas ministris fraudum praebebat opportunitatem, tutissimo usus est remedio et civilitatis pleno, ut ab extremis tabulis cibos viris inferioris loci destinatos sibi iuberet apponi. Ceterum, quoniam grammaticis religio est quicquam observationis probae aspernari, notamus etiam pleniorem dativi formam *sigmatibus*, quam paulo rariorem fuisse docent exempla Schneideri Gramm. Lat. p. 268. His igitur accedat *cataplasmatibus*, servatum illud libris Appuleii Met. V. p. 339.

In hanc corruptionis speciem si quis intueatur, paratam habebit viam, qua monstrum depravatae lectionis ex *Capitolini* Marco (c. 13. *Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorumque asperrimas sanxerunt: quandoquidem caverunt, n e u t i q u i s v e l l e t f a b r i c a r e t s e p u l c r u m*) procuretur: nam *Dirksenius* frustra copias iurisprudentum exquisitas insumpsit, ut vulgatum et sensu absonum et ex infausta codicis Regii fabrica propagatum operose defenderet. Verum moles quaestionis opinione maior est multisque partibus adeo impedita, ut si quis ad exitum pervenire velit, longius et in iura sepulcrorum et in historiam pestis Antoninianae ei sit excurrendum; quo magis veremur ne lectoribus ex ambagibus pusillae disputationis et in variam eruditionem fusae taedium oboriatur. Itaque praestat his exercitationibus de Scriptoribus Historiae Augustae interim finem imponi. Quodsi quid utroque specimine continetur, quod et ad materiam degustandam et ad ingenia discentium acuenda valeat, satis muneri suscepto consuluisse videbimur. Etenim instituto maiorum provisum, ut indices scholarum academicarum quadam literarum accessione commendarentur ex communibus antiquitatis studiis petita: quae cum iuvenilem aetatem alant et aditus ad gravissima disciplinarum genera parent, tum animos suaviter oblectant et otia honesta liberali quaestionum temperamento reficiunt. Superest ut vos, Commilitones humanissimi, tot tantisque studiorum publicorum ac privatorum subsidiis salubriter utamini.

Scr. m. Februario A. 1846.

I. Scholae Theologorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

I. A. L. WEGSCHEIDER, Dr. DECANVS.

I. Publice *Cursum interpretationis librorum SS. N. T.* biennii spatio absolvendum denuo auspicaturus *historiam passionis et resurrectionis Iesu Christi* illustrabit d. Sat. h. VIII adiunctam scholis

II. Privatim habendis, quibus *Evangelia Matthaei, Marci, Lucae* methodo synoptica interpretabitur ad normam synopsis Griesbach. ex edit. b. Mauritii Roediġeri h. VIII. quinquies per hebd.

III. Privatissime et gratis Seminarii regii theologici *exercitia ad librorum SS. N. T. interpretationem* pertinentia moderari perget d. Sat. h. IX.

CHR. FR. FRITZSCHE, Dr.

I. Publice 1) *Ex instituto Lenziano vaticinia Vet. Test. messiana* diebus Veneris et Saturni h. IV-V. latino sermone interpretabitur. 2) *Prolegomena ad Theologiam dogmaticam* bis per hebd. diebus Lunae et Martis hor. defin. exponet.

II. Privatim *Theologiam dogmaticam* quater p. hebd. hor. def. tradet.

III. Privatissime 1) *Theologiam dogmaticam examinando repetet*; 2) In *interpretando Novo Testamento* exercebit.

IV. In Seminario regio theologico *exercitationes catecheticas* moderari perget.

H. CHR. FR. HUPFELD, Dr.

I. Publice *Historiam populi Hebraici* enarrabit die Mercur. hor. III.

II. Privatim 1) *Psalmos* interpretabitur senis diebus hor. IX. 2) *Archaeologiam Hebraicam* tradet quaternis diebus hor. III.

III. In Seminario regio theologico *exercitationes exegeticas V. T.* moderari perget.

B. A. MARKS, Dr.

I. Publice *Lectiones homiletico-practicas in I. C. parabolas* habebit bis per hebd. h. II-III

II. Privatim *Artem homileticam* praemissa eius historia docebit quinquies per hebd. h. III-IV

III. In Seminario regio theologico exercitationes *classis homileticae et liturgicae* moderabitur

I. MUELLER, Dr.

I. Publice *Ethices christianae* historiam breviter enarrabit d. Sat. h. IX-X

II. Privatim 1) *Ethicen christianam* quinis per hebd. scholis h. IX-X. 2) *Theologiae practicae* priorem partem quaternis per hebd. scholis hor. III-IV. docebit.

III. Privatissime et gratis *Societatis homileticae exercitationes* moderabitur d. Martis h. V-VIII

C. THILO, Dr.

I. Publice *Historiae litterarum theologicarum* partem priorem tradet dieb. Ven. et Sat h. X-XI

II. Privatim *Historiae ecclesiasticae* partem priorem narrabit quotidie hor. XI-XII.

III. In Seminario regio theologico *exercitationes classis historicae* moderari perget.

A. THOLUCK, Dr.

I. Publice *Formulam docendi Ioanneam* tradet semel per hebd. hor. X-XI die Sat.

II. Privatim 1) *Encyclopaediam et methodologiam theologicam* proponet binis per hebd. horis, hor. VI-VII. d. Iovis et Veneris. 2) *Evangelium Ioannis* interpretabitur quinquies per hebd. h. X-XI. 3) *Apologetices christianae* adumbrationem tradet ter per hebd. hor. VIII-IX. d. Lun. Mart. Merc.

III. In Seminario regio theologico *exercitationes dogmaticas* et *ethicas* moderabitur.

2. *Professorum extraordinariorum.*

A. F. DAEHNE, Dr.

I. Publice disseret De quaestione, *num liceat secundum ipsos N. T. libros doctrinam Iesu et Apostolorum perficere et quousque?* d. Lun. et Mart. hor. VI-VII. vesp.

II. Privatim *Evangelia Matthaei, Marci, Lucae* ex synopsi Griesbachii (repet. per Maur. Roedigerum ed. 2. Hal. 1839) latino sermone interpretabitur quotidie h. VII - VIII. antemerid.

III. Privatissime *Historiam ecclesiasticam examinando repetet* quater per hebd. h. adhuc defin.

C. CHR. L. FRANKE, Dr.

I. Publice *Exercitationes catecheticas* moderabitur hor. defin.

II. Privatim *Artem catecheticam* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. hor. II-III.

H. E. F. GUERICKE, Dr.

I. Publice De *aetate apostolica* contra Baurium disseret d. Sat. hor. defin.

II. Privatim *Historiam ecclesiasticam* enarrabit enchiridii sui editionem sextam (Handbuch der Kirchengeschichte, 3. T. Leipz. 1846) secuturus quotidie hora XI-XII.

H. A. NIEMEYER, Dr.

I. Publice *Epistolam Pauli ad Hebraeos* bis per hebd. exponet.

II. Privatim *Introductionem in libros N. T. canonicos et apocryphos* tradet quater per hebd.

III. Privatissime Exercitationes *Seminarii paedagogici* moderari perget.

3. *Licentiatorum privatim docentium.*

G. A. MEIER.

I. Gratis *Vitas reformatorum* enarrabit semel per hebd. hora adhuc defin.

II. Privatim *Historiae ecclesiasticae partem posteriorem* exponet, narrationem usque ad nostra tempora deducturus, sexies per hebd. hor. XI-XII.

III. Privatissime et gratis *Societatis historico-apologeticae* studia moderari perget.

C. SCHWARZ, Phil. Dr.

Scholas hoc tempore non habebit.

II. Scholae Iurisconsultorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

O. GOESCHEN, Dr. DECANVS.

I. Publice interpretabitur *Speculum Saxonicum* ex Homeyeri editione d. Merc. h. VIII.

II. Privatim docebit 1) *Ius ecclesiasticum* tam *catholicorum* quam *protestantium* dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. 2) *Historiam iuris et imperii Germanici* d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I.

C. F. DIECK, Dr.

I. Publice 1) *Iura commerciorum* adiuncto *iure cambiali* binis p. h. horis proponet hor. II 2) *Scholas examinatorias* de iure Germanico privato habendas semel p. h. instituet hora adhuc definienda.

II. Privatim 1) *Ius Germanicum privatum* e libello suo quotidie h. IX. tradet. 2) *Ius feudale* tam *Longobardicum* quam *Germanicum* e libello suo quaternis p. h. horis docebit hor. II.

H. W. E. HENKE, Dr.

I. Publice *Scholas examinatorias* continuabit die Sat. hor. IX.

II. Privatim 1) *Encyclopaediam* et *methodologiam iuris universi* proponet diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. h. IX. 2) *Ius criminale* tam *commune* quam *Borussicum* quotidie docebit hor. VIII. 3) *Theoriam processus criminalis* exponet quinquies p. h. h. IV.

F. L. KELLER Dr.

I. Publice *exercitationes exegeticas* instituet d. Sat. h. III-IV.

II. Privatim 1) *Ius Pandectarum* e Rudorffii formula et in supplementum Muhlenbruchii libro usurus docebit quotidie h. X-XII. 2) *Ius hereditarium Romanum* exponet quinquies per hebd. hor. III-IV.

C. WITTE, Dr.

I. Publice *Ordinem iudiciorum privatorum* secundum praecepta iuris Romani tractabit die Sat. h. XI-I.

II. Privatim 1) *Institutiones iuris Romani* quinquies p. h. proponet h. XI. 2) *Historiam iuris Romani* explicabit quinquies p. hebd. h. X. 3) *Ius commune Borussicum* docebit quinquies p. hebd. h. XII. 4) *Exercitationes practicas* eadem qua hactenus ratione instituet semel p. hebd. hora adhuc defin.

2. *Professoris extraordinarii.*

E. WIPPERMANN, Dr.

I. Publice 1) *Taciti Germaniam* interpretabitur die Sat. h. XI-XII. 2) *Scholas conversatorias* de iure publico habendas instituet hor. adhuc defin.

II. Privatim 1) *Ius publicum Germanicum* quinquies p. hebd. h. XI-XII tradet. 2) *Ius publicum Borussicum* ternis p. h. horis docebit h. X-XI.

3. *Doctorum privatim docentium.*

F. TH. ECKENBERG, Dr.

Gratis Dig. Tit. *de verborum signif.* ac de diversis regulis iuris enarrabit h. adhuc def.

C. DE KALTENBORN, Dr.

I. Gratis 1) *Historiam* et *interpretationem instrumenti confoederationis Germanicae* exponet semel p. h. hor. IV-V. 2) *Disputatorias* de iure gentium instituet scholas semel hebd. hor. IV-V.

II. Privatim 1) *Philosophiam iuris* quater p. hebd. hor. XII-I. 2) *Ius gentium positivum* docebit ter p. h. hor. IV-V.

C. O. MUELLER, Dr.

I. Gratis *Selecta iuris et processus criminalis* capita traditis causis criminalibus in iudiciis actis exponet semel p. h. hor. def.

II. Privatim 1) *Processum civilem iuris communis* docebit quinquies p. h. hor. X. 2) *Scholas conversatorias* et *repetitorias* eadem qua hactenus ratione offert.

III. Scholae Medicorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

P. KRUKENBERG, Dr. DECANVS.

I. Publice *Examinatorium* de rebus, quae ad historiam et curationem morborum pertinent, continuabit die Saturni h. IV-VI.

II. Privatim 1) *Pathologiae et therapiae* partem priorem tradet sexies per hebd. h. mat. VI-VIII. 2) *Pathologiam et therapiam organorum, quae urinam secernunt, sexus, medullae spinalis, cerebri, sensus externi et interni* docebit sexies p. hebd. h. mat. VIII. 3) *Exercitationibus clinicis* quotidie praeerit h. XI.

E. d'ALTON, Dr.

I. Publice *Historiam generationis et evolutionis* adhibitis demonstrationibus tradet d. Merc. et Sat. h. IV.

II. Privatim 1) *Physiologiam* experimentis illustrandam sexies per hebd. h. X. offert. 2) *Anatomiam pathologicam* d. Lun. Mart. Iov. Ven. docebit h. IV. 3) *Osteologiam* et *Syndesmologiam* d. Lun. Merc. Ven. h. VIII. explicabit.

E. BLASIUS, Dr.

I. Publice de *quibusdam oculorum morbis* disseret d. Sat. h. III.

II. Privatim 1) *Akiurgiam* quinquies p. hebd. h. III-IV. docebit eique demonstrationes et proprias commilitonum exercitationes in cadaveribus humanis adiunget. 2) *Exercitationibus clinicis chirurgico-opthalmiatricis* in nosocomio academico quotidie h. X. praeesse perget.

III. Privatissime *Operationes ophthalmiatricas* horis adhuc definiendis demonstrabit et ad easdem in oculis brutorum perficiendas commilitonibus occasionem praebebit.

L. H. FRIEDLAENDER, Dr.

I. Publice *Encyclopaediam et methodologiam medicam* d. Mart. et Ven. h. VIII. tradet.

II. Privatim 1) *Artem formulas medicas conscribendi* d. Lun. Mart. Merc. h. IX. 2) De *remediis chirurgicis, physicis imponderabilibus et psychicis* disseret d. Iov. et Ven. h. IX.

A. F. HOHL, Dr.

I. Publice *Doctrinam de morbis placentae et funiculi umbilicalis* tradet.

II. Privatim 1) *Artis obstetriciae theoriam* sexies p. hebd. h. IV. docebit. 2) *Exercitationibus clinicis obstetriciis* quotidie h. IX. praeesse perget.

III. Privatissime *Examinatorium* de operationibus obstetriciis una cum exercitationibus in phantomate instituendis d. Merc. et Sat. h. V. instituet.

A. G. VOLKMANN, Dr.

I. Publice *Anatomiam comparatam* quaternis diebus docebit.

II. Privatim *Principia physiologiae* in usum eorum, qui rebus medicis non student, bis per hebd. hor. constit.

2. *Professoris extraordinarii.*

L. KRAHMER, Dr.

I. Publice de *Analysi microchemica urinae ad cognoscendos organorum uropoeticorum morbos* d. Mart. et Ven. h. III-IV. disseret.

II. Privatim 1) *Pharmacologiam* sexies per hebd. h. IX-X. 2) *Medicinam forensem* d. Lun Mart. Iov. Ven. h. IV-V. tradet. 3) *Exercitationes practicas de morborum pectoris diagnosi*, quam dicunt, *physicali* instituet d. Merc. et Sat. h. IV-V.

IV. Scholae Philosophorum.

1. *Professorum ordinariorum.*

I. G. GRUBER, Dr. DECANVS.

Publice *Poeseos germanicae saec. XVIII. et XIX. historiam* tradet quaternis dieb. h. VI-VII.

G. BERNHARDY, Dr.

Privatim 1) *Platonis Rempublicam* interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. hor. X. 2) *Carmina Catulli, Tibulli, Propertii selecta* explicabit ternis scholis hor. IX.

Idem sodalibus Seminarii philologici *Sophoclis Oedipum Regem* proponet interpretandam et consuetas scribendi disputandique exercitationes regere perget h. X.

L. G. BLANC, Dr.

I. Publice *Fabulas nonnullas Molierii* d. Lun. et Iov. h. I-II. interpretabitur.

II. Privatim *Grammaticam linguae Italicae* d. Mart. Merc. Ven. h. XII-I. tradet.

H. BURMEISTER, Dr.

I. Publice *de Entomologia* disseret bis in hebd. h. III-IV.

II. Privatim *Zoologiam* sexies h. IX-X. docebit.

III. Privatissime sodalibus Seminarii physici zoologiam tractantibus semel in h. hor. comm. vacabit.

I. F. G. EISELEN, Dr.

I. Publice 1) *Politiam* sensu strictiori ter per hebd. hor. VII. matut. docebit. 2) De *paupertate* bis in hebd. hor. VII. matut. disseret.

II. Privatim *Encyclopaediam* disciplinarum politicarum et imprimis cameralium quinis p. hebd. scholis hor. II. tradet.

I. E. ERDMANN, Dr.

I. Publice De iis, *qui novissimis tribus lustris in philosophia eluxerint*, disseret binis per h. scholis h. VI.

II. Privatim 1) *Psychologiam* docebit duce libello a se edito (Lips. Vogel) quinquies p. h. h. IV. 2) *Philosophiam religionis* iisdem diebus h. V. docebit.

G. G. GERLACH, Dr.

I. Publice *Encyclopaediam philosophiae* d. Merc. et Sat. h. XI-XII.

II. Privatim 1) *Logicam et metaphysicam* quinquies per hebd. h. X-XI. 2) *Psychologiam empiricam* quater p. h. hor. XI. docebit.

E. F. GERMAR, Dr.

I. Publice 1) Doctrinam *petrefactorum* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. III-IV. 2) *Demonstrationes* ex universo mineralogiae ambitu dabit sodalibus seminarii mathematici et physici die Sat. h. III-IV.

II. Privatim *Mineralogiam* senis p. h. diebus h. XII-I. docebit.

H. F. G. HINRICHS, Dr.

I. Publice *De vita et philosophia I. G. Fichtii* disseret hor. def.

II. Privatim 1) *Aestheticam* exponet quater p. h. hor. III. 2) *Historiam philosophiae* tradet quaternis scholis h. IV.

H. LEO, Dr.

I. Publice *Elementa linguae Islandicae* tradet libro adiutus Dietrichii (Altnordisches Lesebuch Leipz. 1843.) adiuntis exercitationibus practicis bis per h. hor. XII-I.

II. Privatim *Historiam novissimi temporis ab anno* 1774 *ad annum usque* 1830 enarrabit sexies per hebd. hor. III-IV.

M. H. E. MEIER, Dr.

I. Privatim quinis p. h. diebus *Antiquitates Graecas, quae quidem iuris publici sunt*, enarrabit h. XI-XII.

II. Privatissime et gratis Exercitia seminarii philologi more solito moderabitur et *Iuvenalis satiras aliquot* sodalibus tradet explicandas.

A. F. POTT, Dr.

I. Publice 1) *Nalum* carmen Indicum interpretabitur d. Merc. et Sat. h. XI-XII. 2) *Elementa linguae Sinensis* docebit d. Mart. et Ven. h. IV-V.

II. Privatim *Grammaticam linguae graecae* tradet ter p. h. d. Mart. Merc. Ven. hor. III-IV.

AEM. ROEDIGER, Theol. et Phil. Dr.

I. Publice *Arabicam linguam cum Hebraea comparatam* docebit binis p. h. diebus hor. def.

II. Privatim 1) *Iobi librum* interpretabitur senis p. h. diebus hor. IX. 2) *Prophetarum minorum oracula* exponet ternis diebus hor. X vel III.

III. Privatissime in Societate orientali tum *linguam Samaritanam* docebit tum *codicum Persicorum lectionem* instituet h. def.

A. ROSENBERGER, Dr.

I. Publice *Mechaniceen* explicare perget ter p. hebd. h. def.

II. Privatim aut *Algebram* docebit aut *Introductionem in analysin* proponet quinquies p. h. hor. def.

III. Privatissime et gratis *Exercitia seminarii mathematici* et *physici* moderabitur.

L. ROSS, Dr.

I. Publice *Selectos carminum Homeri locos*, quibus artis opera describuntur, singulis p. h. scholis interpretabitur.

II. Privatim *Historiam artium apud veteres populos* quinis scholis h. VIII-IX enarrabit.

D. F. L. DE SCHLECHTENDAL, Dr.

I. Publice *Graminum familiam* illustrabit semel p. hebd. d. Iov. h. IV-V.

II. Privatim De *organographia, anatomia* et *physiologia plantarum* disseret sexies p. hebd. h. VII-VIII. iunctis demonstrationibus et excursionibus botanicis.

III. Privatissime et gratis *Exercitationes botanicas seminarii physici* moderabitur hora commoda.

I. S. C. SCHWEIGGER, Dr.

I. Publice 1) *Studia* eorum qui Societate ad physicam spectante iunguntur moderabitur d. Merc. hor. III. aliisque diebus et horis ad instituenda physica experimenta commodis 2) *Antiquitates physicas*, quae *Samothracum mysteria* dicuntur, diebus horisque commodis explicabit ratione habita libri sui: „Einleitung in die Mythologie auf dem Standpuncte der Naturwissenschaft."

II. Privatim *Physicam experimentorum ope* tradet hor. XI-XII. quinquies p. h.

L. A. SOHNCKE, Dr.

I. Publice *Exercitia seminarii mathematici* moderabitur.

II. Privatim 1) *Calculum integralem* docebit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. hor VIII-IX. 2) *Geometriam analyticam* iisdem diebus hor. VII-VIII.

2. *Professorum extraordinariorum.*

M. DUNCKER. Dr.

I. Privatim *Historiam institutorum et publicorum et sacrorum medii quod dicunt aevi* exponet d. Mart. Iov. Ven. hor. XII-I.

II. Privatissime et gratis *Exercitationes societatis historicae* moderabitur d. et h. def

I. C. GARTZ, Dr.

I. Publice De *cognationibus geometricis systematum non planorum* disseret d. Merc. et Sat. hor. VII-VIII. matut.

II. Privatim 1) vel *Geometriam* vel *Algebram elementarem* docebit methodo dialogica quater p. h. hora VII-VIII. matut. 2) *Calculum differentialem* cum applicationibus geometricis tradet sexies p. h. hora VI-VII matut.

R. F. MARCHAND, Dr.

I. Publice 1) *Chemiae physiologicae elementa* tradet bis p. hebd. h. III. d. Lun. et Iov. 2) *Exercitia Seminarii physici* moderabitur d. Sat. h. def.

II. Privatim *Chemiam experimentalem generalem*, experimentis et demonstrationibus iunctis, sexies p. hebd. h. XI. docebit.

III. Privatissime *Exercitationes chemicas* offert in Laboratorio chemico.

I. SCHALLER, Dr.

I. Publice *Philosophiam naturae* binis p. h. horis docebit.

II. Privatim 1) *Logicam* et *metaphysicam* quinquies p. h. hor. IV-V. 2) *Historiam philosophiae universam* quinquies hor. V-VI. tradet.

C. STEINBERG, Dr.

I. Publice 1) *Chemiam corporum organicorum* tradet semel p. hebd. h. II-III. 2) *Exercitia seminarii chemici* moderabitur.

II. Privatim 1) *Elementa chemiae* experimentis adhibitis tradet quater p. h. hor. XI. 2) *Pharmaciam* experimentorum ope docebit quater p. h. hor. IV.

Idem *Exercitationes practicas* in ergasterio suo moderari perget.

H. ULRICI, Dr.

I. Publice De *notione religionis* nec non de discrimine, quod inter eam et philosophiam intercedit, disseret singulis p. h. scholis d. Merc. hor. III.

II. Privatim *Philosophiam religionis christianae* tradet ternis p. h. scholis d. Mart. Iov. Ven. h. III-IV.

A. WEISE, Dr.

Publice 1) *Doctrinam et historiam picturae* tradet. 2) De *chalcographia* disseret.

3. *Doctorum privatim docentium.*

F. A. ARNOLD, Dr.

I. Gratis 1) *Exercitationes arabicas* moderari perget semel p. h. hor. def. 2) *Grammaticam syriacam* docebit semel p. h. hor. def.

II. Privatim *Iesaiae vaticinia* interpretabitur quinis p. h. diebus hora IX-X.

C. A. BUHLE, Dr.

Privatim 1) *Technologiam* excursionibus instituendis docebit quater p. h. h. II-III. 2) *Historiam animalium domesticorum* quater p. h. hor. III-IV. 3) *Encyclopaediam oeconomiae* dictata secuturus bis p. h. hor. III-IV.

H. EISENHART, Dr.

I. Gratis *Statisticam generalem et comparativam* docebit binis p. h. scholis hor. II.

II. Privatim 1) *Philosophiam iuris* exponet quater p. h. hor. def. 2) *Oeconomiae nationalis doctrinam* ter p. h. tradendam offert hor. def.

F. TH. HAARBRUECKER, Dr.

I. Gratis *Historiam religionis islamicae* enarrabit semel p. h. hor. def.

II. Privatim Librum *Geneseos* interpretabitur quinquies p. h. hor. IX.

G. HANKEL, Dr.

Privatim *Technologiam* tradet quater hor. IV-V.

I. G. AB HOYER, Dr.

De re militari Veterum disseret et progr. artis indicabit.

I. H. KRAUSE, Dr.

I. Gratis *Ciceronis orationem Verrinam quartam* d. Lun. et Iov. hor. V-VI. latino sermone interpretabitur.

II. Privatim *Luciani Anachars.* s. *dialogum de gymnasiis* diebus Lun. et Iov. hor. V-VI. latino sermone interpretabitur.

III. Privatissime *Disputationes de argumentis philologicis* moderari perget dieb. Merc. et Sat. h. V-VI

C. KUEHN, Dr.

I. *Gratis* Disputationes de Hegelii logica moderabitur semel p. h. hor. IV-V.

II. *Privatim* Logicam exponet quater p. h. hor. VI-VII.

AEM. SOMMER, Dr.

I. Gratis *Historiam litterarum germanicarum inde a Lessingio* tradet semel p. h. hor. VI.

II. Privatim *De Nibelungis* carmen theotiscum interpretabitur, de Nibelungorum fabulae historia et compositione et de antiqua Germanorum arte metrica praefaturus, quaternis p. h. diebus hor. XI.

A. SPRENGEL, Dr.

I. Privatim 1) De *plantis officinalibus* disseret quater p. h. hor. X. 2) *Excursiones et demonstrationes botanicas* instituet semel per hebd.

II. Privatissime offert *Scholas repetitorias* de universa historia naturali.

FR. STAEGER, Dr.

Scholas suo loco indicabit.

G. WEISSENBORN, Dr.

I. Gratis *Historiam philosophiae recentioris* enarrabit ternis scholis h. III.
II. Privatim *Logicam et metaphysicam docebit* quinquies hor. IV.

V. SCHOLAE LECTORIS PVBLICI RECENTIORES LINGVAS DOCENTIS.

H. G. HOLLMANN, Dr.

I. Publice *Linguam Italicam* docebit.
II. Privatim *Francogallicam* et *Anglicam linguas* docebit.

VI. ARTIVM EXERCITIA.

I. *Historiam musices ecclesiasticae* publice tradet atque in scholis hymnorum ecclesiasticorum cantui destinatis *per quattuor vocum symphoniam cantandi artem* docebit FR. NAUE, Philos. Dr. et Director musices. Idem *artem vocum graviorum et acutiorum harmoniam in symphoniis regendi* privatim explicabit, neque iis deerit, qui scholis privatissimis musicam sive vocalem sive instrumentalem addiscere cupiunt.
II. In omnibus *artis graphicae et pictoriae* generibus institutionem theoreticam et practicam offert C. GVIL. HERSCHEL.
III. *Artem equitandi* in hippodromo regio docebit ANDRÉ.
IV. *Artem rudibus se tuendi* profitetur LOEBELING.
V. *Saltandi artem* monstrabit WEHRHAHN.

VII. PVBLICA DOCENDI DISCENDIQVE SVBSIDIA.

I. *Bibliotheca academica* civibus huius universitatis patebit diebus Merc. et Sat. hora I—III.; eadem professoribus et doctoribus et seminariorum sodalibus aperietur dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. X—XII. — *Bibliotheca Hungarica* aperietur dieb. Merc. et Sat. hor. I—II.
II. *Theatrum anatomicum* et *Musea* tum *anatomicum* tum *zootomicum*. — Aditus ad *Meckelii collectiones anatomicas* dabitur suo loco petentibus.
III. *Hortus botanicus* et *Herbarium academicum*.
IV. *Nosocomia clinica* 1) medicum, 2) chirurgicum, 3) obstetricium.
V. *Specula astronomica*.
VI. *Museum physicum* et *Ergasterium chemicum*.
VII. *Museum zoologicum* hor. I—III. die Mercurii aperietur.
VIII. *Museum mineralogicum* iis, qui studiis mineralogicis iam operam dederunt, die Mart. h. II—IV. aperietur.
IX. *Collectionem imaginum aeri incisarum* dieb. Mart. et Sat. hor. II—III. inspiciendi copiam faciet WEISE, Phil. Dr. et Prof. extraordinarius.
X. *Societatis Thuringo-Saxonicae* ad investigandas patriae antiquitates institutae apparatum monumentorum antiquorum inspiciendi copiam faciet FOERSTEMANN, Theol. et Phil. Dr.

VIII. SEMINARIA.

1) *Theologicum*. Exercitationibus exegeticis Vet. et Nov. Testamenti praesunt HUPFELD et WEGSCHEIDER, historicis THILO, dogmaticis THOLUCK, homileticis MARKS, catecheticis FRITZSCHE.
2) *Paedagogicum*. Huic praeest NIEMEYER.
3) *Philologicum*. Huic praesunt MEIER et BERNHARDY.
4) *Mathematicum omniumque disciplinarum physicarum*. Huic praesunt SCHWEIGGER, GERMAR, ROSENBERGER, DE SCHLECHTENDAL, SOHNCKE, BURMEISTER, MARCHAND et STEINBERG

SCHOLAE HORARVM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORVM.	II. IVRISCONSVLTORVM.	III. MEDICORVM.	IV. PHILOSOPHORVM.
VI-VII.	" " "	" " "	*Krukenberg* patholog. et ther. (6).	*Gartz* calc. diff. (6).
VII-VIII.	*Daehne* evv. Matth. Marc. Luc. (6).	*Goeschen* ius eccles. (4).	*Krukenberg* patholog. et ther. (6).	*Eiselen* polit. (3). *Idem* de paup. (2). de *Schlechtendal* de organ. anat. physiol. plant. (6). *Sohncke* geom. anal. (4). *Gartz* geom. vel. algebr. elem. (2). *Idem* de cognat. geom. (2).
VIII-IX.	*Wegscheider* evv. Matth. Marc. Luc. (5). *Idem* hist. pass. et resurr. I. C. (1). *Tholuck* apol. chr. adumbr. (3).	*Goeschen* Spec. Saxon. (1). *Henke* ius crim. (6).	*Krukenberg* patholog. et ther. org., quae urinam secernunt etc. (6). *d'Alton* osteol. et syndesmol. (3). *Friedlaender* encycl. et method. med. (2).	*Ross* hist. art. apud vet. pop. (5). *Sohncke* calc. integr. (4).
IX-X.	*Wegscheider* exercitt. ad interpr. N. T. pertin. in sem. reg. theol. (1). *Hupfeld* Psalm. (6). *Mueller* ethic. (5). *Idem* hist. ethic. (1).	*Dieck* ius germ. priv. (6). *Henke* encyclop. et method. (4). *Idem.* schol. exam. (1).	*Friedlaender* art. form. medic. conscr. (3). *Idem* de rem. chir. etc. (2). *Hohl* exercitt. clin. (6). *Krahmer* pharmac. (6).	*Bernhardy* carm. Cat. Tib. Prop. (3). *Burmeister* zool. (6). *Roediger* libr. Iobi (6). *Arnold* vatic. Iesai. (3). *Haarbruecker* libr. gen. (3).
X-XI.	*Thilo* hist. lit. theol. (2). *Tholuck* form. doc. Ioan. (1). *Idem* evang. Ioan. (5).	*Keller* Ius Pand. (6). *Witte* hist. iur. Rom. (3). *Wippermann* ius publ. Borussor. (3). *Mueller* Proc. civ. (3).	*d'Alton* physiol. (6). *Blasius* exercitt. clin. (6).	*Bernhardy* Plat. resp. (3). *Idem* sem. (2). *Gerlach* log. et met. (3). *Sprengel* de plantis officin. (4).
XI-XII.	*Thilo* hist. ecc. part. prior. (6). *Guericke* histor. eccles. (6). *Meier* hist. eccl. part. poster. (6).	*Keller* Ius Pandect. (6). *Witte* Inst. iur. Rom. (5). *Idem* ord. iud. priv. (1). *Wippermann* ius publ. Germ. (5). *Idem* Tacit. Germ. (1).	*Krukenberg* exercitt. clin. (6).	*Gerlach* encycl. phil. (2). *Idem* psychol. empir. (4). *Meier* antiq. Graec. iur. publ. (5). *Pott* Nal. (2). *Schweigger* phys. exper. (5). *Marchand* chem. experim. (6). *Steinberg* chem. elem. (4). *Sommer* de Nibelungis (4).
XII-I.	" " "	*Goeschen* hist. iur. et imper. Germ. (4). *Witte* ius comm. Boruss. (5). *Idem* ord. iud. priv. (1). de *Kaltenborn* phil. iur. (4).	" " "	*Blanc* gramm. ling. Ital. (3). *Germar* mineralog. (6). *Leo* grammatic. Isl. (2). *Duncker* hist. med. aevi (3).
I-II.	" " "	" " "	" " "	*Blanc* Molier. fab. (2).
II-III.	*Marks* lect. homil. pract. in I. C. parab. (2). *Franke* art. cat. (3).	*Dieck* Ius feud. (4). *Idem* Iur. comm. et camb. (2).	" " "	*Eiselen* encycl. disc. pol. (5). *Steinberg* chem. corpor. organ. (1). *Buhle* technol. (4). *Eisenhart* statist. (2).
III-IV.	*Hupfeld* archaeol. hebr. (4). *Idem* histor. pop.	*Keller* Ius hered. Rom. (3). *Idem* exercitt. exeg. (1).	*Blasius* akiurg. (5). *Idem* de oculorum morb. (1).	*Burmeister* de entomol. (2). *Germar* doctr. po-

SCHOLAE HORARVM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORVM.	II. IVRISCONSVLTORVM.	III. MEDICORVM	IV. PHILOSOPHORVM
	Hebr. (1). *Marks* art. homil. (3). *Muller* theol. pract. part. prior. (4).		*Krahmer* de analysi microchem. urin. (2).	tref (4). *Idem* sem. phys. (1). *Hinrichs* aesthet. (4) *Leo* hist. ann. 1774-1830 (6). *Pott* gramm. ling. graec (3) *Schweigger* societat. phys. (1) *Marchand* chem. phys. elem. (2). *Ulrici* de nat. relig. (1). *Idem* philos. relig. (3) *Buhle* histor. anim. dom. (4). *Idem* encycl. oecon. (2). *Weissenborn* hist. phil. recent. (3).
IV - V.	*Fritzsche* vat. V. T. messian. (2).	*Henke* Proc. crimin. (5). de *Kaltenborn* Ius gent. (3). *Idem* hist. confoed. Germ. (1). *Idem* schol. disput. de Iure gent. (1).	*Krukenberg* examin. (1). d'*Alton* anat. pathol. (4). *Idem* hist. gener. et evolut. (2). *Hohl* art. obst. theor. (6). *Krahmer* medic. forens. (4). *Idem* exercitt. pract. (2).	*Erdmann* psychol. (5). *Hinrichs* hist. phil. (4). *Meier* exercitatt. semin. (2). *Pott* ling. Sinens. (2). de *Schlechtendal* gram. famil. (1). *Schaller* logic. et met. (5). *Steinberg* pharmac. (4). *Kuehn* disputat. d. Hegeli log. (1). *Weissenborn* log. et metaph. (5). *Hankel* technolog. (4).
V - VI.	*Muller* exerc. hom. (1).	„ „ „	*Krukenberg* examin. (1). *Hohl* examin. (2).	*Erdmann* philos. relig. (5). *Schaller* hist. phil (5). *Krause* Luc. Anachars. (2). *Idem* disput. (2). *Idem* Cic. orat. Verr. IV. (2).
VI - VII.	*Müller* exercitt. hom. (1). *Tholuck* encycl. et method. theol. (2). *Daehne* de quaest. num liceat sec. ipsos N. T. lib. doctr. Iesu et Apost. perficere et quousque? (2).	„ „ „	„ „ „	*Gruber* hist. poes. germ. (4). *Erdmann* de philos. trium noviss. lustr. (2). *Kuhn* logic. (4). *Sommer* hist. litt. germ. inde a Lessingio (1).
VII - VIII.	*Müller* exercitt. hom. (1).	„ „ „	„ „ „	„ „ „

HORIS DEFINIENDIS.

SCHOLAE THEOLOGORVM.	SCHOLAE IVRISCONSVLTORVM.	SCHOLAE MEDICORVM.	SCHOLAE PHILOSOPHORVM.
Fritzsche proleg. ad theol. dogmat. (2). *Idem* theol. dogmat. (4). *Idem* repet. theol. dogm. *Idem* exercitt. in interpr. N. T. *Idem* exercitatt. catech. in sem. reg. *Hupfeld* exercitt. exeg. V. T. in semin. reg. theol. *Marks* exercitt. hom. et liturg. in semin. reg. theol. *Thilo* exercitt. hist. eccles. in sem. reg. theol. *Tholuck* exercitt. dogm. et ethic. in semin. reg. theol. *Dähne* repett. hist. eccl. *Franke* exercitt. catech. *Guericke* de aetate apostol. contra Baurium. *Niemeyer* epist. ad Hebr. *Idem* introd. in libr. N. T. *Idem* exercitt. in sem. paed. *Meier* vit. ref. *Idem* societ. hist. apol.	*Dieck* scholl. examinat. (1). *Witte* exercitatt. pract. (1). *Wippermann* scholl. convers. *Eckenberg* Dig. Tit. de verb. signif. *Müller* sel. iur. et proc. crim. capp. (1). *Idem* scholl. convers. et repet.	*Blasius* de operationib. ophthalmiatr. *Hohl* de morb. plac. et funic. umb. *Volkmann* anatom. compar. (4). *Idem* princ. phys. (2).	*Burmeister* sem. phys. *Hinrichs* de vita et philos. Fichtii. *Rödiger* ling. Arab. cum Hebr. compar. *Idem* proph. min. *Idem* societ. orient. *Rosenberger* mechan. (3). *Idem* algebr. aut introd. in analys. (5). *Ross* loc. carm. Hom. (1). *de Schlechtendal* sem. phys. *Schweigger* myster. Samotr. *Duncker* hist. soc. *Marchand* Exercc. Sem. phys. *Schaller* phil. nat. *Weise* doctr. et histor. pict. *Idem* chalcogr. *Arnold* exercitt. arab. *Idem* gramm. syriac. (1). *Eisenhart* philos. iur. (3). *Idem* oecon. nat doctr. (3). *Haarbrücker* histor. relig. islam. *Hollmann* ling. Ital. *Idem* ling. Francogall. et Anglic.

DE SCRIPTORIBUS HISTORIAE AUGUSTAE.

PROOEMIA DUO SCHOLIS
UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE INDICENDIS

SCRIPSIT

GOD. BERNHARDY.

HALAE,

TYPIS ET SUMPTIBUS O. HENDELII.

1847.

Monitum.

Cum per opportunitatem academici moris Scriptores Historiae Augustae in medium afferrem, hoc inprimis secutus sum, ut ostenderem in expoliendis illis monumentis etiamnum me versari, nec partes deseruisse multis abhinc annis susceptas. Etenim verbo significaveram in Ephemeride Zimmerm. a. 1834. p. 1136. cum de Catachanis Hadriani Augusti libris quaerebatur, aliquanto post novis curis me Historiam Augustam emendatius editurum esse. Inde quidam ex familiaribus meis non cessant opus promissum flagitare, dubitantes etiam num post tantas moras fidem exsolvere velim. Ego vero his et Suidam et operosam litterarum Graecarum historiam excuso et quicquid negotiorum vel impedimentorum obiectat vita civilis, atque usuram integri otii potius expectare malo quam iniquis temporibus eum laborem festinare, qui duo amplius saecula iacuerit. Nuncipsum tamen postquam Hendelius typographus academicus prooemia nostra seorsim statuit propagare, huius consilio usus saltem subsidia novae recensionis breviter indicabo; si forte voluntatem virorum doctorum, quibus opes praesto sint non spernendae, mihi conciliare possim.

Nititur autem editio nostra codicibus duobus primariis, *Palatino* et *Vaticano* 1899. Quorum Palatinum Saec. IX. ipse totum peragravi, Bamberga (ubi hodie post varios casus eum servari tradiderat Cramerus Ictus *Hauschronik* p. 128.) Halas ab Iaeckio comiter transmissum. Vaticanum una cum reliquis sex Vaticanae bibliothecae libris, a Kellermanno adiutus, Ambroschius familiaris noster, cum Romae degebat, strenue comparavit. Ad huius praestantiam proxime accedunt et *Vaticanus* 1901. sic ut tres illi codices gravissimis in rebus conspirent, et editio princeps, id est, *Mediolanensis*, de qua dictum p. 15. Nondum vero collati sunt codices *Laurentiani* bibliothecae Mediceàe, qui verendum est ut multum iuvare queant, *Ambrosianus* bibliothecae Mediolanensis, quem quamvis recentem ad plurimos locos restituendos valere Isaac Vossius in Burm. Syll. Epist. T. III. p. 672. affirmat, *Angelicus* in bibliotheca Angelica Romae custoditus. *Regios* sive *Parisinos* nequis concupiscat, cautum est, opinor, per Casauboni commentarios. Epitomas Scriptorum Historiae Augustae nec deprehendi neque expeto.

Ceterum editio nova duobus voluminibus cum reliqua subsidia philologis et historicis necessaria complectetur, tum integros Casauboni et Salmasii commentarios, diligenter castigatos, indicatis etiam testimoniorum locis, quae parum commode ut tum solebant illi designant, eosdemque correctos vel locupletatos auctario nostro.

Scr. m. Aug. A. 1847.

I.

In litteris Latinis cum alia multa citerioris aevi monumenta feruntur, quae situs diuturnus et oblivio hominum oppressit, tum scriptores quosdam collecticios mireris eadem contemptus an inertiae clade afflictos iacere: qui cum ab maioribus nostris expetiti doctisque commentariis essent ornati, nunc a paucis et invitis per necessitates quaesiti iamiam labuntur atque incertam in fortunam incurrerunt. Nempe sua fata habet habebitque docta supellex antiquitatis; quo minus novum videbitur eo rem evaluisse, ut illi libri partim manibus virorum eruditorum exciderint ac paulo rarius in privatis scriniis deprehendantur, partim leviter usurpati pro derelicta provincia haberi possint. Nolumus ambitiose gromaticos, medicos, geographos, rhetores aut magistros eruditionis variae enumerare; sed libet hoc tempore paulisper in *Scriptoribus Historiae Augustae* subsistere. Nimirum aetatem tulit temeraria quaedam

silva historiae miscellae, quam opifices de plebe qualiscunque sive artis seu consilii immunes ex copiis publicis privatimque congestam ad Imperatores Diocletianum et Constantinum miserunt. Nec diu fuit cum homines brevitatis studiosi delectum libellorum et compendia narrationis sic instituerunt, ut et auctores diversi confunderentur et particula rerum gestarum haud mediocris, quae inter Gordianum tertium et Gallienos interiecta fuerat, plane periret. Tandem istis successit et novissimam annalibus manum admovit, qui maiores sumpsit spiritus, *Flavius Vopiscus*, vir sobrius et in exigenda materia diligenter versatus. Is telam a Trebellio Pollione inchoatam pertexere coepit, cumque litteris Aurelianum mandasset, vitis singularibus quas amicis suis destinarat ordinem Augustorum usque ad Diocletianum deduxit. Paulo post exortus est qui pusillos Caesarum enarratores, brevitate sibi prae ceteris commendatos, unum in volumen cogeret, quod plerique codices integrum propagarunt, pauci in digestorum flores distraxerunt, velut quae olim in Bibliotheca Palatina reperta sunt Excerpta. Iam in sarcinis comportandis quid illius arbitrium quidve casus valuerit, longum est et molestum exquirere; etenim ipsas distributionis rationes aegre perspicere licet, si quidem plurimum spatii Iulio Capitolino concessum, in singularibus autem vitis auctoritas et Vulcatii Gallicani et Trebellii Pollionis sufficere visa, nam ad hunc solus Divus Claudius debet revocari. [1])

---

[1]) Diu multumque dubitatum est de singulis scriptoribus, qui symbolas ad corpus Historiae Augustae contulerint, neque de finibus

Quamquam illud facile coniectamus, hominem imminutis atque mutilis subsidiis usum fuisse. Utut fuit, haud scio an industriam quantumvis obscuram, quae digitos magis quam ingenium in historia collecticia expedierit, etiam laudari conveniat, quod fractas quasdam tabulas ab interitu vindicavit.

---

regendis critici consentiunt; sed prolixam quaestionem non capit modus harum praefationum. Satis est verbo conatus Britanni litteratissimi tetigisse, qui post Casaubonum et Salmasium maiora molitus intelligendo fecit ut parum intelligeret, *H. Dodwelli* Praelectt. Camden. p. 32 — 151. Scilicet is antiquum obtinuit, ut oratione diffusa, putida diligentia, perplexo disserendi genere (vide rectum Niebuhrii iudicium in Scriptt. minor. I. p. 113.) rem obrueret et post ambages infinitas lectorem dimitteret incertissimum ac paene de salute desperantem. Solet autem, quod alii probant, vanissimas ratiocinationes ex iis locis conficere, in quibus scriptor de vitis nescio quorum Augustorum sese tradidisse vel traditurum ostendat; quasi historicorum istorum opellas etiamnum sinceras neque in formulam excerptorum discerptas teramus. Monuit nuper, quibus cautionibus haec disceptationis pars obnoxia sit, *Dirksenius* ICtus (Die Scriptores Hist. Aug. p. 42. sq.), qui libris iisdem operam commodare coepit utilissimam. Nolim tamen siquid in scriptore quopiam illius sodalitii fuerit observatum id ad alterum continuo traduci, tanquam eaedem rationes atque vicissitudines in universos cadant; nam singuli tam materia quam prudentia plurimum inter se differunt. Ceterum non multum iuvant codices, quorum in subscriptionibus haud maior est fides quam in titulis praescribendis; quamquam aliquam curam rubricae Palatini produnt. At si quis eiusdem praescriptionem consideret hanc, *Finita vita Antonini philosophi. Incipit eiusdem Verus feliciter*, statim intelliget, quam facili errore librarii potuerint *eundem* habere scriptorem, cum folia nonnulla replicare per incuriam omisissent. Contrarium accidit in vitis Macrini et Antonini Diadumeni, quarum altera Capitolino, haec Lampridio tribuitur; apparet tamen, qui patrem narraverit, ab eodem pueri res tanquam appendicem scribi debuisse. Nimirum oculos perstrinxit continuus Lampridii libellus, quo Heliogabalum tradit.

Quos igitur nescio cuius beneficio coniunctos tenemus *Scriptores Historiae Augustae*, eos supra significavimus a plerisque spretos propemodum in turba delituisse. Merito quidem, inquit. Etenim quis est paulo erectior et generosis sensibus imbutus, quin plebeios magistellos et historiarum quasi scrutariam factitantes aspernetur, praesertim sordido dicendi genere inquinatos? [2]) Scilicet si res ageretur hominum eruditorum, qui ab humanitatis disciplina profecti munus historicum süscepissent et in annalibus condendis criticam severitatem ea qua par fuit subtilitate iudicii atque orationis luce temperassent, verissime contemptores isti statuerent. Saltem confectores vitarum a Suetonio suo, cuius in exemplum grex sectatorum intuebatur, aliquam prudentiam in argumentorum delectu et compage didicissent! Nunc ad plebem delati sumus ab institutis liberalibus alienam, quae frivolas res suopte ingenio captans et in instrumentis luxus principalis defixa laudes flagitiis, iocularia seriis, foeda honestis temere permiscuit falsisque vocibus fortunam regum prosequitur; neque id negotium aliter administratum videmus, quam si quis oppidanus ex actis Berolinensium diurnis et ephemeridum reliqua congerie fata nostrarum civitatium enarret. Ex huiusmodi vero frustulis pannisque cinnus emersit inconcinnitate singularis, cui parem in litteris historicorum vel semidoctis neque Graeca antiquitas nec populus Romanus ostentat. Nam qui rationes et seriem temporum susque deque

---

[2]) Vide praeter alios Niebuhrii (Scholarum de hist. Rom. habitarum T. II. p. 342. ed. Ien.) iudicium.

habuerint, item ut Spartianus et sequaces, quos artes chronologorum plane fugerunt, aliquos invenias; porro nonnullos, qui pingui Minerva statum vicesque rerumpublicarum et mores magnorum virorum delinearint, aut rudi stilo libertatem atque principatum percurrerint: sed qui nullo discrimine gravia ridiculis, inania necessariis, absona praeclaris adiunxerint et contrariis frontibus incredibilia siverint coire, ut praecepta logicorum vel sensum communem citius quam vanam curiositatem ac diligentiam in minutis religiosissime exultantem desideres, frustra circumspeximus. Ut de multis uno defungamur et altero specimine, satis est hanc Spartiani struem contemplari, Hadr. 21.

> Inter cibos unice amavit tetrapharmacum, quod erat de fasiano, sumine, perna et crustulo. Fuerunt eius temporibus fames, pestilentia, terraemotus; quae omnia quantum potuit procuravit, multisque civitatibus vastatis per ista subvenit. Fuit etiam Tiberis inundatio. Latium multis civitatibus dedit, tributa multis remisit. Expeditiones sub eo graves nullae fuerunt, bella etiam silentio paene transacta.

Aut lepidum eius acumen in Sev. 18.

> Philosophiae ac dicendi studiis satis deditus, doctrinae quoque nimis cupidus, *latronum ubique hostis,* vitam suam privatam publicamque ipse composuit ad fidem, solum tamen vitium crudelitatis excusans.

Dixeris facinora Caesarum eadem qua vixerint liber-

tate esse memorata. Quid deinde censemus, cum hi quasi historici longius evolant et ad splendidas moralis philosophiae voces aut iudicia de rebus humanis aspirant? Vide Sever. 20. 21. Heliogab. 33. Alex. 64. Claud. 1. Quid quod isti scrutatores, cum ad cultum habitum libidines advertant mentem intentissimam, faecem etiam et secreta rimantur, quae ab medicis vel cubiculariis curari decuit: v. Lamprid. Alex. 36. Capit. Gord. 19. et, si brevissimum quaeris exemplum, eiusdem Ver. Imp. 4. „Somni fuit permodici, digestionis facillimae.“ Quamquam in toto hoc genere praestat lectores ad Heliogabali vitam ablegare. Ne tamen iniquius de hominum prudentia decernamus: vel deteriores vitarum artifices tum extiterant, quos ab illis non raro reprehensos videmus. Caverunt igitur tam fide quam brevitate, Marii Maximi ut nugas verbosas et Iunii Cordi fabellas praeterveherentur: v. Lamprid. Heliog. 33. Capit. Gord. 21. quorum hic etiam grandiorem iactat professionem, *Siquidem ea debeant in historia poni ab historiographis, quae aut fugienda sint aut sequenda.*

Hactenus apparuit, quid pretii statuendum esset historicis e plebe profectis. Nec male de nobis actum, quod ex opibus eorum de moribus et institutis saeculi III. existimare licet atque universam vivendi sentiendique rationem certius introspicere, quam per iustos et limatos rerum commentarios fieri posset. Verum aliae multae dotes Scriptoribus Historiae Augustae suffragantur. Etenim historicis, iureconsultis, grammaticis uberrimam praebent materiam et inexhaustam, qua disciplinis suis lucem afferre queant,

criticis autem campos aperiunt patentissimos, in quibus decurrant et facultatem usu vario corroboratam exerceant. Iam quis ignorat ista vitarum enarratione historicis labentis imperii fontem nunc utilissimum nunc unicum et plane necessarium esse propositum? qui nisi praesto foret, saepe nos auctores clarissimi destituerent, ac ne per Dionis quidem libros quamvis copiosissimi temporum illorum testis (inter Dionem vero et Historiae Augustae auctores quid intersit acute digito monstrat Gibbonus cap. 4. not. 49.) et Herodianum, qui modicam partem diserte peragravit, satis causas reconditas, voluntates principum, statum rerum civilium et negotiorum publicorum assequeremur. Itaque *Gibbonus* ille, quo nemo scitius aut maiore cum fructu molem istam omnigenam pervolutavit, callida rerum futilium interpretatione multa potuit expedire vel probabilem in ordinem concinnare. Porro iurisperiti huic horreo, quod insigni tabularum et epistolarum fide munitum est, notitiam debent et virorum consultissimorum, quibus Imperatores tum gravissimas res committere solebant, et iurisdictionum, mutationes autem in administrandis muneribus factas, constitutiones Augustorum et leges opinione plures inde colligere potuerunt. Quas utilitates generatim *Mascovius* Oratione de usu et praestantia Historiae Augustae in iure civili, singulis et exquisitis exemplis nuper *Dirksenius* ostenderunt. Quo minus mirabimur diligentissimos iuris civilis magistros, sive vitas nobilium ICtorum describunt, seu doctrinam condunt vel quaestiones forenses disceptarunt, multos in terendis Historiae Augustae monumentis fuisse; ac si verum fatemur, ab nullis ea

frequentius lectitata sunt. Nam quibus materiam infinitam ibi suppetere monuimus, grammatici et critici longe minorem iis industriam impenderunt. Quamquam grammaticis non deest excusatio, qui rarius et inviti soleant ad litteras citerioris aevi descendere, neque lectione librorum oblectentur, unde parum ad incrementa lexicorum et observationem artis videatur redundare. Sed utrique, spero, sententiam mutabunt, simulatque certus et copiosus apparatus ex optimis subsidiis confectus prodierit.

Interim ut orationis Latinae formam brevi perstringamus, historicos plebeios cum plebe locutos esse nemo non intelligit. Quodsi nullo in genere virtus et utilitas horum scriptorum competeret, profecto quantivis pretii habendi forent testes sermonis plebeii, cuius post Vitruvium et collectiones glossarum, qualem etiam Placidus instituit ab A. Maio proditus, non extet documentum saeculo tertio antiquius. Plebeiam autem elocutionem tanquam illustris nota sordidae voces arguunt sumptaeque ex vulgari consuetudine, quarum bona pars per linguas Romanas sive provincialium est propagata; nec vestigia coloris eruditi aut bene dicendi studia comparent ulla, praesertim dempto verborum omni delectu, unde copias phraseologiae pendere constat. Accedit largissima seges syntaxis anomalae: velut structuras accusativi cum ablativis confusas magno locorum acervo munire licet. Et exempla quidem sermonis domestici per totum corpus Historiae Augustae fusa vel non operose conquirenti patent, si quis a Salmasio monitus tabulam glossarum et stribliginum inchoarit: alia haud paulo foediora codices suppeditabunt, qui textum verborum

insto saepius perversis editorum mangoniis incrustatum coarguunt. Iuvat unum et alterum specimen in medium protulisse.

Spart. Hadr. 21. *Unde extat etiam illud severe quidem, sed prope ioculare de servis.* Fatendum sane Spartianum ab omni concinnitatis aut orationis aequabiliter structae cura abhorruisse; sed adverbium *severe* quis sibi persuaserit ad *ioculare* adiectivum a scriptore quamvis hebete referri potuisse? Iam quid sincerum sit optimus Palatinus significat, *severo* punctis subnotans, hoc est, *saeve.* Nempe quod probati scriptores in *imbecillus* imbecillis, *inermis* inermus, *exanimis* exanimus aliisque variandis sic praeierant, ut alterumutrum intra certos casus subsisteret, id aevum inclinatum prona libidine dissimillimis in vocibus concessit: unde fluxere *lepidis* (v. Reinesius in Petron. 61.), *concinnis* (v. Hildebrand. in Appul. Met. V. p. 356.), *infirmis, saevis,* de quibus dixit Valesius in Ammian. XX, 6, 6. Palatinum autem firmabit Marcellinus XV, 9, 6. *saevium tyrannorum,* eiusdemque XXIX, 5, 48. *suppliciorum saevium repertorem.* Hinc etiam *Peloponnensium* genitivus apud Trebell. Claud. 16.

Epistola ap. Capitol. Max. & Balb. 17. *gratulatus Italiae, quam cum maxima ab hostibus vastatione defendistis* (l. *defenditis*); *gratulatus provinciis, quas inexplebili avaritia tyrannorum laceratus ad spem salutis reduxistis.*

Silent ad haec critici, tanquam in librorum consensu. Sed *inexplebilis* Pal. cum ed. principe, *reduxistis* ignorant duo primarii codices, nec semel accidit per temeritatem librariorum vel edd. vett. ut la-

cunae, si quando defectus verborum intercideret, omnibus machinis resarcirentur; cuius rei exemplum infra proferemus ex Vopisci Tacito. Primum igitur eiecta fraude novissimas voces *ad spem salutis* par est cum utroque membro *gratulatus Italiae* — *gratulatus provinciis* coniungi; deinde levi mutatione redintegranda Capitolini manus: *gratulatus provinciis, quas inexplebilis avaritia tyrannorum lacerata est.* Nova quidem species *lacerari* deponens, sed iis temporibus nata, quae confundendis in generibus verbi licenter admodum versabantur, praeeuntibus tamen prisci sermonis auctoribus. Memoravere grammatici Varronianum *affectatus est regnum*, itemque *dilapidari*, praeter alia quae nullo cum delectu Vechneri Hellenolexia p. **100.** sqq. cumulavit, a quibus non multum differt Ammiani exemplum *suspectati sunt.*

Sequitur ut criticam condicionem summatim perstringamus. Non dubitabunt, siqui solas editorum annotationes paulo curiosius evolverint, quin hi scriptores plurimis corruptelis ac dubitationibus premantur. Nos quidem diuturnus usus edocuit, et corruptionem opinione longius esse grassatam et numerum locorum graviter affectorum tantum extare, nullius ut ingenium et salutaris manus quamvis eximiis conatibus subacta videatur sufficere posse. Haud mediocris tamen progressio in hoc studiorum genere dudum perfecta foret, si quidem duplici munere decessores nostri solerter voluissent defungi, ut et instrumentum criticum bene provisum atque concinnum appararent, et copias oblatas via, ratione, denique luce disserendi et ordine iusto necessarios in usus converterent. Nunc illi scripturae varietatem arbitra-

tu suo decerpunt, quando difficultatibus locorum commoti vetustam quampiam editionem et codices inspiciunt, fide librorum ac dignitate parum solicite pensitata; neque habent iidem ratum et constitutum, quid inter certam emendationis legem et vagam coniectandi libidinem intersit. Tralaticiam sane fabulam narramus, quippe quae facile plerisque superioris aetatis recensionibus queat accommodari. Sed Scriptoribus Historiae Augustae improspera fortuna hoc etiam nomine obvenit, quod duobus amplius saeculis nemo recognoscendos et a turpibus vulgatae mendis purgandos suscepit; nec mirum, cum *Casaubonus* et *Salmasius* quasi sidera orbis eruditi oculos vulgi praestringerent et universos critices et interpretationis numeros explesse viderentur. Et Casaubonus quidem commentarium exhibuit non indignum laboribus, quos in Athenaeum et Suetonium insumpserat; Salmasius autem cum antiquitates et sermonem aevi citerioris ex interiorum litterarum thesauris illustrat, tum plurimos vitarum locos summa sagacitate restituit, eamque iudicii severitatem praeter morem probavit, ut praestantissimus Historiae Augustae editor iure merito haberi debeat. Enimvero, si summam spectamus, res secus cecidit. Scilicet neuter fundamentum operae tam firmum posuit, ut criticum munus probabiliter perfici posset. Fundamentum autem ab editione principe petendum erat, quam *Bonus Accursius* Mediolani procuraverat, rarius illam a Casaubono, passim a Salmasio et maiore cum fructu usurpatam. Fontem expressit Mediolanensis codicem melioris ordinis, sed lectu difficillimum, cuius ductus cum Accursius aut non satis assequeretur aut

rerum ignarus perperam explicaret, nunc scripturas interpolavit verique indagandi viam offuciis sustulit, nunc meram corruptionem satis habuit in medio reliquisse. Iam editiones continuae, *utraque Veneta* cum *duplici Aldina*, nullis utpote subsidiis munitae, licentia mutandi fraudes et corruptionis vim auxerunt. Inprimis autem ab Veneta II. plura sunt repetenda, quae libris invitis hanc vulgatam involaverunt: velut illi debentur et mirificus Iureconsultorum index Alexandro Severo subtextus, et transpositio verborum aliquammultorum in Max. et Balb. c. 3. quae ad c. 8. pertinent, et omnium violentissima distractio fragmentorum in Valerianis, ubi neque caput nec pes constat, siquidem ipsum exordium, *Valerianus Imperator, nobilis genere, patre Valerio, censor antea et per dignitatum omnes gradus suis temporibus ad maximum in terris culmen ascendens*, plane confictum est. Adeo laborarunt olim vestigia supellectilis male conglutinatae, unde haec vitarum excerpta pendent, quavis arte oblitterare: quo in genere haud scio an nullum exemplum cum interpolatione Spart. Pescenn. 9. comparari possit, quae duplicem istius vitae fontem prorsus obscuravit. Sed illuc redeo. Ulterius etiam progressus ceteris cupidius a fide MSS. recessit vir magnus, *Desiderius Erasmus*, qui *Basileensi* praefuit nec pauca menda removit; isque nominis auctoritate consecutus est, ut conditor vulgatae receptaeque lectionis existeret. Hanc primus propagavit *Rob. Stephanus*, cuius post tempora (prodiit autem Stephaniana a. 1544.) nullus criticus Historiam Augustam de integro retractavit, nisi forte codicum ut ferebat voluntas scripturis quibusdam illa-

tis aut novis mendis per incuriam admissis. Nam *Casaubonus* libris misere interpolatis, ut Regio Parisino, nescio qua indicii perversitate fidem suam addixit, *Grutero* satis visum diversitates optimi Palatini paulo graviores enotasse; utroque autem intelligentior qui ab uno Pal. et editione principe locis afflictis solet opem commodare, *Salmasius* nunc egregias invenit correctiones, modo calidius in avia defertur et recondita sordidis historicis obtrudit. Quarto gradu neminem afferre licet praeter *Ulr. Obrechtum*, qui varias symbolas paucis annotationum paginis commisit. Itaque quibus hodie plerique utuntur exemplis, *Hackianum* satis negligenter adornatum, quamquam commentarii meritissimorum virorum repetiti vel potius per saturam fusi huic Batavorum opificio famam addiderunt, *Bipontinum*, longe castigatius illud et inprimis ad Salmasianam exactum, postremo *Lipsiense*, iuncta Püttmanni Schmidiique opella parum fideliter exhibitum, modo vulgatam ab Erasmo vel Stephano repertam sequuntur, interpositis etiam Casauboni et Salmasii commentis, nunc quaedam omittunt lectionesve inculcant ignorabiles, ut tamen hominibus doctis nullam moverint dubitationem. Velut in nominibus propriis inferciendis adeo luxuriant, ut quo consilio fecerint quodque lucrum anquisiverint vix inveniamus. Huiusmodi est ridiculum auctarium in Spart. Sev. 24. *Corpus eius in Britannia Romam usque ... susceptum est; quamvis alii urnulam auream tantum fuisse dicant, Severi reliquias continentem, — cum Septimius Pertinax Severus illic ubi vita functus esset incensus;* nam *Pertinax Severus* perinde MSS. ignorant atque voces eas

in Carac. extr. *templum quod ei sub Tauri radicibus fundaverunt olim maritus A n t o n i n u s, in quo postea filius huius B a s s i a n i Heliogabalus* etc., quas diductis litteris notavimus. Sed ut brevi quasi tabula modus interpolationis patescat, duos locos forte oblatos infra posuimus, collatis inter se codicum sive ed. principis et vulgatarum scripturis.

Capitol. Gord. 16 MSS. & Med.	Vulgg.
Haec ubi comperit senior Gordianus, cum in Africa nihil praesidii et a Maximino multum timoris et fides Punica perurgeret, et acerrime Capelianus instaret, luctus deinde mentem atque animum fatigaret, laqueo vitam finivit.	Haec ubi comperit senior Gordianus, modicas vires suas, Maximini magnas, instantem Capelianum raramque Punicam fidem considerans, et acri dolore percitus, ut vincula etiam hostium evitaret, laqueo vitam finivit et vitam cum imperio reliquit.
Ibid. 21.	
Sane quod praetermittendum esse non censui, quia mirabile visum est, lectum apud Vulcatium Terentianum, qui et ipse historiam sui temporis scripsit: in litteras misit Gordianum	Sane quidem quod apud Vulcatium Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam, videtur mirabile, inserendum censui. Dicit enim Gordianum

Ultra peccat ex socordia Lipsiensis, negligendis vocibus aut membris: cui quidem, ut paucis utar, desint *et amicitia* Lampr. Alex. 67. porro ipsa verba, *et, si esset securus, ad omne dedecus paratissimi* sub capitis 5. finem in Gallienis, *vel ut parsimoniam peregrinatione addisceret* Capit. Veri Imp. 5. quid quod insigni sensus dispendio in Maxim. Iun. 2. *genua sibi osculari patiebatur, et nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus,* illic mutilantur sic, *genua sibi osculari patiebatur,*

et nonnunquam passus est senior Maximinus. Quocirca huc totius negotii status iam evasit, ut qui solam et illibatam optimorum testium fidem, id est, Palatini duorumque Vaticanorum, cum editionibus vetustissimis collatam audaciaque prudenti per emendationis copias temperatam, repraesentaverit, is praeclare de studiis historicorum ac philologorum meriturus sit, instaurato quasi fundamento, cui firmiter insistere liceat et confidere; sed eundem reliquis etiam officii partibus satisfacturum, sic ut et manifesta vulnera persanet et operta damna protrahat, quae per universum opus latitant, aegre speraveris, idque mensuram unius critici paucis superiorum inventis iutam excedit.

Interim spatia patent *emendationis* uberrimae: quam si quis ratione factitet, sic ut gradatim a planis et confessis ad perplexa divinationis atque pericula litteras interpretandi ascendat, operae pretium rettulerit ac locis conclamatis vel pusilla quadam apicis observatione salutem praestabit improvisam. De hoc igitur genere specimina nonnulla non poenitebit expendisse; quorum in partem si forte inciderint, qui novissimis annis in Fridericiana litteras antiquitatis inchoarunt, libenter opinor in memoriam confabulationum inter initia critica habitarum redibunt.

Sciunt omnes, quantillus error e distrahendis ac male copulandis vocibus natus caliginem et perturbationem locis inferre soleat, praesertim si quod litterarum compendium perperam sit acceptum vel nomen proprium minus pervulgatum interveniat. Et nomina quidem recondita non ita crebra sunt per Ili-

storiam Augustam, ut iis immorari velimus: quale multis abhinc annis *Catachanas*, Hadriani libros obscurissimos, in Spart. Hadr. **16.** investigavimus aliorum assensu comprobatum. Longe maiorem praebent materiam nomina hominum et locorum: velut *Annium Verum*, quod apud Spart. Hadr. **24.** in *Ceionium Verum* esse mutandum olim demonstrabitur; nunc saltem unam adhibeamus corruptelam Lamprid. Comm. 5.

> *Ipse autem Commodus Lucillam sororem, cum eam compressisset, occidit.*

Falsam scripturam Aldus invexit: nam optimi MSS. *cum eam praemisisset*, Med. *cum ea promisisset.* Salmasius vehementer sibi diffidens (neque immerito) *cum ea praemisisset* sic explicare conabatur: cum illa prius Commodum occidere voluisset. Sed intuenti manum Pal. corr. *cum ea praemisisset*, omnino Reimarus verum videbitur eruisse: *cum Capreas misisset, occidit.* Auxit enim vitium eorum error, quos lineola terminationes accusativi notans fugisset. Ut in Capitolini Maximin. **12.**

> *Habuit enim hoc barbaricae temeritatis, ut putaret imperatorem manu etiam sua semper uti debere.*

Ubi reprehendit temeritatem Maximini, qui militis in modum cum paludem ingressus esset, ab Germanis circumventus discrimini virtute suorum exemtus est. At MSS. optimi cum Med., quos critici silent, *uti* nesciunt; veterem scilicet scribendi rationem secuti, *manū etiam suā s. d.* Legendum enim: *ut putaret imperatorem manum etiam suam semper debere.* Historico Virgilianum, opinor, obversabatur A. XI, **178.** *dexteram gnatoque patrique debere.*

Praevertamur ad eam labem, quam oratio traxit male disiectis aut conflatis litterulis. Iam ubi res binorum ternorumve vocabulorum agitur, mediocris fit labor, modo quis aciem mentis ad cubilia germanae lectionis intendat, nec siglarum obliviscatur vulgarium. Utamur facillimis exemplis iisque e proximo petitis. Lamprid. Alex. 14.

divinatio mentis frequentissima, rerum memoria singularis, quam nemo nisi Acholius ferebat adiutam.

Novissima quidem sensu cassa sunt: id quod Casaubonum latuit, incaute tentantem *scribat adiutam*, non latuit Salmasium, qui scripturam Palatini et Med. nesciret in usus convertere hanc, *quam nemo nico A. f. a.* Eadem Aldus corruperat. Sed unam litterulam si revocamus praecedenti voce haustam, prodit sincera scriptoris manus, *quam mnemonico Acholius ferebat adiutam.* Clarissima fuit et veterum tam usu quam praeceptis pervulgata doctrina memoriae, quam appellabant *τὸ μνημονικόν*: v. Morgensternii disputationem de arte veterum mnemonica p. VIII. sqq.

Alterum documentum praestat Spart. Geta c. 5.

Vestitus nitidi cupidissimus, ita ut patri doleret.

Mirifica vero patris acerbitas, qui puero cultus et munditiae studioso indoluerit. Non fugit offensio verborum Salmasium, qui de remedio desperans haec annotavit: „vitium manifestum arguit vetus scriptura quae habet, *ita ut patri deret.* quod et prima editio retinuit: vitium video, emendationem non item, quam fortasse alii odorabuntur, sagacioris nasi qui erunt.“ Profecto mireris in ipsa luce tan-

tum ingenium paulisper hebescere potuisse, cum *patri deret* appareat ad compendium scribendi *pr̂* *rideret* revocanda fuisse. Corrige, sodes, quod iuvenes leviter moniti haud semel invenerunt:

Vestitus nitidi cupidissimus, ita ut pater rideret.

Contra paulo longiorem quaestionem et contentionem adhibere par est, sicubi plures voces coaluerunt ac multis partibus fides veterum tabularum ab editionibus dissentit. Velut accidit in loco sane luculento, quem ab Veneta interpolatum critici parum feliciter tractarunt, cum negligenter Palatinum inspexissent. Verba sunt Lampridii Heliog. 34.

Mirum fortasse cuipiam videatur.., quod haec clades quam rettuli loco principum fuerit, et quidem prope triennio: ita ut nemo inventus fuerit, qui istum a gubernaculis Romanae maiestatis abduceret.

Oratio callide ficta; quamquam alia suadent duo optimi MSS. *ita nemo vir. cp. tum fuit*, quod alii aliter formarunt, Med. temere scripsit *ita nemo inventus fuit.* Particulam *ut* nullus liber agnoscit. Salmasius non ea qua polluit sagacitate: *ita ut nemo repertus fuerit*, vel, *nemo vir e populo tum fuerit.* Atqui *vir. cp.* nemo non intelligit sic dirimi debere, *in rep.*, a quo non longe discedunt aliquot Vaticani, *in re. pr.* Itaque Lampridio facili opera restituemus: *ita nemo in republica tum fuit.*

Hoc autem invento pulchre licebit in emendatione Vopisci uti, cuius sermonem simplicissimum editores incredibilem in modum deformavere. Verba sunt Taciti c. 13.

Et quoniam a Maeotide multi barbari eruperant, hos eosdem consilio atque viribus ut eo redirent compulit.

Ista vera contendas cum scriptura Palatini et Vaticanorum, quam magna ex parte Med. exhibuit, *hos eosdem consilio atque iuri ut eo comperisset*. Huius sub integumentis quid boni lateret se non videre Salmasius aperte confitetur, quem in causa fraudis indaganda parum igeniosum fuisse mirarer, nisi sub operis finem eum vires remisisse plus semel suspicaremur. Iam primum coniunge syllabas dispersas *virtute*; quibus dilapsis cum reliquum esset factum *ut*, librarii subiunctivum istum *comperisset* invehere potuerunt. Porro cum indicativum teneamus *compressit*, sua sponte nativa lectio emergit et librorum vestigiis consentanea:

hos eosdem consilio atque virtute compressit.

Huius emendatione ope licebit etiam vitium in Spartiani Aelio Vero c. 2. ad sanam rationem revocare.

Verum alias inceptam persequemur disputationem. Nunc dum hunc, quem vobis Commilitones humanissimi tradimus, indicem et scholarum quasi saturam lancem animo contemplamur, quam olim festive coenam dubiam appellaverunt, suspectam illam et nocituram, nisi vos cauto iudicio praesidia doctrinarum in fructus studiorum convertere sciatis: commode libet in Menandreis desinere fr. inc. **474**.

Πολὺ κρεῖττόν ἐστιν ἓν καλῶς μεμαθηκέναι
ἢ πολλὰ φαύλως περιβεβλῆσθαι πράγματα.

Quibus quae subiecit editor egregie cordatus monita, operae pretium est descripsisse. „O praeclarum (inquit) et vere aureum dictum, quod utinam summi rerum nostrarum scholasticarum antistites toto pectore imbiberent et scholis nostris strenue se-

quendum etiam atque etiam commendarent! Nam ut nunc res est, detestabilis illa *πολυπραγμοσύνη*, quae omnes ordines pervasit, etiam iuventutem nostram transversam agit, ut nusquam consistat, nusquam pedem figat, nusquam habitet, cum ubique habitet. Quae pestis si latius serpat, verendum est ne omnis eruditio in circulatoriam loquacitatem versa funditus tollatur. *Πουλυμαθίη νόον οὐ διδάσκει.*"

Scr. m. Augusto A. 1845.

II.

In nupero Prooemio, quo historiam criticam *Scriptorum Historiae Augustae* inchoabamus, simplicissimas emendationis leges cum aliis locis per interpolationem adulteratis confirmavimus, tum significatum est eadem ope, qua Vopiscus salutem recuperavit, etiam *Spartianum* in Aelii Veri c. 2. posse facile sanari. Huius igitur sermonem continuo par est expendi, siquidem telam leviter deductam aliquantum pertexere libet et novis quibusdam si forte luminibus exornare. Spartianus vero Caesarem tradens ab Hadriano lectum et quasi cooptatum, non ut solebat in imperii spem sed in societatem curarum, haecce posuit:

> *Aelius Verus . . . nihil habet in sua vita memorabile: nisi quod primus tantum Caesar est appellatus, non testamento, ut antea solebat —, sed eo prope genere quo nostris temporibus . . . Caesares dicti sunt, quasi quidam principum filii viri et designati augustae maiestatis heredes.*

Oratio non uno nomine difficilis: namque primum

offendit singularis observatio scriptoris, qui tituli Caesarei notionem attulerit a plerisque reprehensam et improbatam; deinde nemo fando percepit mirificam formulam *filii viri*, quae neque promptum neque verum habet explicatum. Iam historicam quaestionem non iuvat uberius persequi, quamquam et *Salmasius* eam plane perturbavit, et qui ceteris diligentius rem exposuit, *Spanhemius* de U. et Pr. Num. T. II. p. 342—357. sive in Iuliani Orat. I. p. 43—45. reliquit nonnulla posteris perficienda. Summatim tamen delibemus, quae ad intellectum Spartiani nosse commodum sit. Donec igitur gens Iulia rerum potiebatur, ex vero Caesares appellabantur, qui in eam asciti simul spem hereditatis et successionis acciperent; eaque lege Caesarum seriem complebant Gaius et Lucius, deinde Tiberius, Drusus et Germanicus, postremo Britannicus et Nero. Sed post extinctos Iulios cum ad principatum vocarentur, qui Caesaream domum neque natura neque adoptione contingerent, primum illi reliquis dignitatum suarum titulis Caesarem adiecere, quo successionem quasi stirpis eiusdem (*τὴν τοῦ γένους σφῶν διαδοχήν*, ut Dio Cassius ait) et insitivam Iulii sanguinis nobilitatem sibi arrogarent; itaque iuncta Caesaris et Augusti appellatio unum ad principem transferebatur. Solus illud nomen omisit vel neglexit Vitellius. Deinde Iuliorum more Caesares ii fiebant, qui principalem in domum atque succedendi spem transirent. Primus igitur Galba Pisonem ascivit Caesarem; Vespasiano superstite Titus et Domitianus, tanquam candidati principatus, Caesares dicti; Traianus ab Nerva Caesar declaratus participem curarum militarium egit;

nec desunt exempla citerioris aevi, Clodii Albini, Getae, Numeriani, aliorum, quos videmus Caesares, hoc est, secundi fastigii principes, celebrari. Hactenus falli videretur Spartianus, qui Verum tradiderit *primum esse Caesarem appellatum*; nisi *tantum* interposuisset. At enim in causa prae ceteris aperta et ad vulgus exposita, quivis historiae Augustae non ignarus ut eam nullo librorum usu teneret, quam errandi causam et occasionem fingemus? Immo perspexerat ille singularem Veri condicionem extitisse, quae minorem iuris Caesarei gradum argueret: siquidem Aelius, etsi socius tribuniciae potestatis fuit, splendidissimos tamen in honores non est assumptus, sed solam Caesaris speciem ostentavit, immatura morte interceptus. Qui cum recens ab adoptione Pannoniis impositus sit, ut vicarius vel legatus Augusti haberi posset: non temere fecit Spartianus, quippe testis imperii inter Augustos et novicios Caesares divisi, Verum comparans cum Maximiano et Constantio Chloro Caesaribus, qui duobus sub Augustis in bellis et provinciis agebant, similes illi regulis Hispanorum, quos nostrates vocant *Vice-Könige*. Eamque similitudinem recte animadversam esse nummis demonstrat *Zoëga* in Nummis Aegypt. Imperat. p. 162. Itaque Spartianus si minus eleganter, at ex fide historiae: *primus tantum Caesar est appellatus*.

His confectis ad illam dubitationem progredi licebit, quam movet commentum istud, *principum filii viri*. Suadebat autem *Io. Cannegieterus* in Collat. Legg. Mosaic. Tit. X. §. 3. *filii veri*: quam suspicionem ambigas utrum sensus an oratio certius repellat. Nam filii *veri* quo pacto dicantur filii per

adoptionem facti, quos vel *quasi* praemissum filios adumbratos esse et in iura natorum ascitos clamat? Paulo melior *Io. Arntzenii* in Mamertini Paneg. p. 11. coniectura *filii iure*; modo faveret verborum collocatio. Nos cum voces in libris Hist. Aug. intellexerimus identidem distractas, vestigia litterarum *viriet* ad normam scripturae apud Vopiscum Tac. 13. emendatae sic interpretamur, ut efficiatur *virtute*. Nunc demum verba hunc in modum concinnanda, *quasi quidam principum filii, virtute designati augustae maiestatis heredes*, recte pronunciant, quod minime premi debuit, Caesares non esse natos, sed electos et constitutos propter eximiam laudem et res praeclare gestas.

Iam Aelii Veri nomen facit ut in memoriam *Vopisci* redeamus: cuius narratio luculentissima cum explicationem, non emendatorum artes desideret, patiemur eam grato quodam temperamento cum Spartiano coniungi. Servavit autem Vopiscus in vita Saturnini c. 8. epistolam observationibus egregiis plenam, qua Hadrianus ingeniosam Alexandrinae gentis levitatem describit et exquisitis salibus castigat. Miserat eam ad Servianum Consulem, qui sororem principis Paulinam in matrimonio habebat. Illarum quidem litterarum non esset cur per hanc opportunitatem recordaremur, nisi sub finem verba intervenirent prima specie minime suspecta (neque editoribus quicquam suboluit):

> *denique ut primum inde discessi, et in filium meum Verum multa dixerunt et de Antinoo quae dixerunt comperisse te credo.*

Filium Verum intelligunt, opinor, Verum Caesarem;

at res secus se habet, si rationes temporum paulo diligentius ineantur. Nempe scripsit Hadrianus epistolam, postquam Aegypto discesserat, hoc est, post annum 886. Porro Verum constat non ante a. 888. adoptatum fuisse. Medium quasi tempus implevit Serviani consulatus, ut apparet, tertius, quem a. 887. suscepit, Vibio Varo collega. Atqui constanter tradit Spartianus, cum Servianus tanquam affectator imperii mortem obire coactus fuisset, Verum ad Aelios transisse. Quid igitur censes? idemne libellus, ad Servianum consulem missus, Servianum superstitem una cum Vero post illius mortem adoptato potuit complecti? Neque tamen Serviani nomen in suspicionem incurrit, siquidem Paulinae maritum in Hadriani vocibus agnoscimus, *Calices . . . transmisi, tibi et sorori meae specialiter dedicatos;* nedum ut Spartiano fidem detrahamus. At licebit, inquit, *filium meum* in caritatis et tenerrimi sensus significationem pertrahi. Placuit ista venia, qua locum impeditum cum fide historiae conciliaret, *Flemmero* Havniensi scriptori de itineribus Hadr. p. 113. „Brevi dicam, quid sentiam. Scripta est epistola anno 887. et L. Verus adoptatus est a. 889.; nihilo tamen minus Hadrianus in ipsa epistola ante adoptionem eum filium appellat, quod iuvenem pulcherrimum, assiduum itineris comitem, paterno amore amplectebatur et filii loco habere consueverat.“ In his ignoramus unde homo callidus petierit *assiduum itineris comitem*, quem Spartianus Hadr. 23. nihil nisi *forma commendatum* narret, iisque demum temporibus in Aeliam gentem ascitum, cum *princeps aevo ingravescente morbis tristioribus* premeretur.

Sed quod gravius est et extra dubitationem positum, illa *filium meum Verum* ut aut in ipsius Veri compellatione aut familiaribus in litteris sensum caritatis spirare queant et tueri, publica tamen in epistola diligenter et proprio significatu de Vero per adoptionem Caesare debent accipi. Omnibus igitur perpensis satis constat, difficultatem nisi remoto aut explicato Veri nomine sublevari non posse. Atqui nihil excogitari licet, quod verbis corruptionem arguat inesse. Quamobrem una relinquitur, quae plerisque praeter expectationem accidet, et lenissima ratio, non ut de Vero Caesare, sed de *Marco Antonino* cogitemus, quem et adolescentem dictum fuisse *Verum* sive *Verissimum* (cf. Eusebii H. E. IV, 14. extr. V., 1.), et in gremio Hadriani, qui puerum mirifice dilexit suamque in familiam assumpsit, peramanter educatum constat: v. Capitolinus in vita Marci c. 4. Ac scite monuerat H. Valesius in Ammi. Marcell. XXVII, 6. extr. eum qui Verus vulgo dicatur, a Graecis Lucium; contra qui Marcus, Verum appellari; cuius observationi adiungas Salmasium in Marci c. 7. p. 317.

Hadrianus vero princeps iterum nos ad Spartianum revocat. Etenim in his fortuitis libellis usu venit, ut aliae ex aliis quaestionibus serantur ac festinanti moram obiiciant, praesertim in ea materia, quae iunctam critici et interpretis opem toties efflagitet. Spartianus ubi vitam Hadriani privatam singulis capitibus illustrat, haec memoravit c. 17.

> *Ad deprehendendas obsonatorum fraudes quum cum plurimis summatibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam ultimis quibusque iussit apponi.*

Frivola quidem res et infra historiae dignitatem posita, sed ad artis usum non spernenda, si quis ab erroribus criticorum proficere sciat. Primum enim geminatum *cum* debetur *Salmasio*, qui *summatibus* in Palatino libro deprehensum (haec autem constans est MSS. lectio), reiecta vett. edd. interpolatione *sumentibus*, in noviciam scripturam *quum cum plurimis summatibus pasceret* convertit, sic ut *pascere* absolute dictum haberetur pro eo quod est convivium exhibere: nempe solennes epulas ab Imperatore magistratibus ceterisque proceribus fuisse apparatas. At ut pascere proxime abest ab significatione verbi convivari, ita *cum plurimis pascere* prorsus est inaudita structura, quam Salmasius, si posset, larga manu confirmasset. Quamquam hoc levioris fuerit momenti; consilium autem et rationem eius inventi, quo Hadrianus, summates dum epulis excipit et fercula de mensis etiam ultimis quibusque ad se deferri iubet, fraudes obsonatorum deprehenderit, ex istis verbis nemodum cognovit. Nimirum *fercula de aliis mensis* opponuntur tabulis primariis, quas non ambigue volumus indicari. Ergo viderat aliquid *Casaubonus*, artificium principe non indignum suspicatus, qui cibos ab imperatoria mensa plurimum remotos suum in conspectum protraxisset; sed criticam improspere tractavit, deceptus ut solet interpolata Regii libri scriptura. Nam quod refingit, *cum plurimos suis sumptibus pasceret*, nemo ferat *suis sumptibus* inutili profluentia verborum interiectum. Longe fortiorem medelam *Reiskius* in Constantini Cerim. p. 169. admovit, ubi de *ἀποκοπτῇ* aulae Byzantinae dissertans hanc lusit coniecturam, *ad deprehendendas*

obsonatorum fraudes cum plurimis (scil. vicibus, h. e. ut plurimum, plerumque, quam in rem male comparat c. 20.) *summa tabula pasceret, fercula* etc. Saltem vir sagacissimus animum adverterat quid sententia posceret, nec fugit eum *summatibus* vitiosum esse nomen, quod praeter affectatores sermonis prisci nemo captavit. Iam mensas mensis invicem opponi cum intelligamus, sensui facilis et certa mutatio sic subveniet, ut vocem non tritam ex latebris eruamus. Nimirum Spartianus posuerat: *cum plurimis sigmatibus pasceret;* quod nos solemus, *wann er an vielen Tischen Tafel hielt. Simma* pariter ex *sigma* depravatum, cuius rei causam ab assimilationis studio repetimus saeculis citerioribus sueto (v. *Diez Grammatik der Roman. Sprachen* I. p. 218.), exemplis muniit ipse Salmasius in Lampridii Heliog. 25. In epulis autem sigmata sive mensas semirotundas sub Imperatoribus adhibitas et consuetudine celebratas fuisse nemo nescit, qui aut Martialem triverit aut scriptores de conviviis et antiquitatibus convivalibus. Vide tamen, si placet, Savaronem in Sidonii Epp. II, 2. p. 109. Hadrianus igitur, quoties in plures mensas distribuebat convivas earumque numerus et longinquitas ministris fraudum praebebat opportunitatem, tutissimo usus est remedio et civilitatis pleno, ut ab extremis tabulis cibos viris inferioris loci destinatos sibi iuberet apponi. Ceterum, quoniam grammaticis religio est quicquam observationis probae aspernari, notamus etiam pleniorem dativi formam *sigmatibus*, quam paulo rariorem fuisse docent exempla Schneideri Gramm. Lat. p. 268. His igitur accedat *cataplasmatibus*, servatum illud libris Appuleii Met. V. p. 339.

In hanc curruptionis speciem si quis intueatur, paratam habebit viam, qua monstrum depravatae lectionis ex *Capitolini* Marco (c. 13. *Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorumque asperrimas sanxerunt: quandoquidem caverunt, ne uti quis vellet fabricaret sepulcrum*) procuretur: nam *Dirksenius* frustra copias iurisprudentum exquisitas insumpsit, ut vulgatum et sensu absonum et ex infausta codicis Regii fabrica propagatum operose defenderet. Verum moles quaestionis opinione maior est multisque partibus adeo impedita, ut si quis ad exitum pervenire velit, longius et in iura sepulcrorum et in historiam pestis Antonianae ei sit excurrendum; quo magis veremur ne lectoribus ex ambagibus pusillae disputationis et in variam eruditionem fusae taedium oboriatur. Itaque praestat his exercitationibus de Scriptoribus Historiae Augustae interim finem imponi. Quodsi quid utroque specimine continetur, quod et ad materiam degustandam et ad ingenia discentium acuenda valeat, satis muneri suscepto consuluisse videbimur. Etenim instituto maiorum provisum, ut indices scholarum academicarum quadam literarum accessione commendarentur ex communibus antiquitatis studiis petita: quae cum iuvenilem aetatem alant et aditus ad gravissima disciplinarum genera parent, tum animos suaviter oblectant et otia honesta liberali quaestionum temperamento reficiunt. Superest ut vos, Commilitones humanissimi, tot tantisque studiorum publicorum ac privatorum subsidiis salubriter utamini.

Scr. m. Februario A. 1846.

